

www.e-rara.ch

In Sacrosanctum Daudis Psalterium Commentarii

Musculus, Wolfgang

Basileae, Anno M.D.LXIII. [1563]

Universitätsbibliothek Bern

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-110981>

Psalmus LXXXIX.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

consuetudo, non ex animo ac ueraci corde orant. Pars inter orandum usque adeo corde aliud agit, ut prorsus nesciant, quid ore dicant: tam abest uidelicet, ut credant orationem suam uenire in conspectum Dei. At sancti sic orant, ut non dubitent orationes suas penetrare ad aures Dei.

Expendamus simul & hoc, quantum nobis debeat adferre consolationis, quod oratio afflictorum, seseq; coram Deo humiliantium, nubes penetrat, & in conspectum usque Dei ascendit. Quem dabis mihi principem, ad quem subditorum & afflictorum oratio mane perueniat? Quantis hic patrocinij opus est? At hic cuius afflictio liberrimum est, mox mane, media etiam nocte, & omnibus omnino momentis, oratione sua uenire in conspectum Dei. Et licet queratur hic Propheta non exaudiri se: primus tamen consolationis inueniendæ gradus est, non dubitare, quod eorum orationes, qui ex corde clamant, ad Deum ueniant.

OBSER. III. *Vt quid Domine deseris animam meam?* Notanda est hæc piorum querela frequens in scripturis, quæ se deferri à Deo in tribulationibus queruntur: cum Deo tamen nihil possit minus cōpetere, quam si suos, ad se clamantes, deferat. Dei siquidem est proprium, non deferere, sed liberare afflictos, non auertere faciem à tribulatis, & se inuocantibus: sed orationem illorum placide suscipere, & speratam opem conferre. Nam hoc nobis de illo uniuersa S. scriptura, & ipse quoq; de seipso prædicat. Hac sunt pij erga illum fide præditi, hac eum fiducia inuocant: nempe, tãquam Deum suum, potentissimum ubique liberatorem, ac fidissimum protectorem. Nihil ergo animis illorum inopinatus ac molestius accidere potest, quàm si derelictionis sensu afficiantur. Quapropter etiam non simpliciter hic Propheta dicit, *Deseris Domine animam meam*: sed, *Vt quid deseris Domine animam meam?* ut quid abscondis faciem tuam à me? Sicut & Christus in cruce clamabat: *Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me?* Non uident rationem sancti cur hoc fiat. & quoniam hæc illis derelictionis tentatio præter omnem spem & expectationem longè aliter sperantibus accidere solet, ideo ad hunc modum queruntur. Verùm tentationis sunt hæc uerba, non ueritatis. Neq; enim uerè suos Deus deserit, sed dum uel non confestim, uel non eo modo quo speratur, occurrit, deferere uidetur.

OBSER. IIII. *Adflatus sum ego, & deficiens à iuuentute.* Duo sunt hoc uersu notanda. Vnum, quod se à iuuentute adflatum, alterum, quod deficientem se ac trepidantem esse dicit. Prior nobis particula diuinam ac paternam commendat disciplinam, qua suos cœlestis pater uarijs afflictionibus à puero exercere & erudire solet. Sic suprà psalm. 71. uers. 17. dicit: *Deus docuisti me à iuuentute mea, & in sequentibus subiicit, Ostendisti mihi tribulationes multas & malas, &c.* Sic solent prouidi patres à pueris erudire filios suos: at qui indulgentes sunt, liberos suos corrumpunt, & ignauos reddunt. Altera particula nos admonet, quæ sit etiam sanctorum in hac paterna disciplina imbecillitas ac trepidatio. Hanc exprimit, cum se deficere ac trepidare dicit. Notanda sunt itaque hæc duo propter adflatos, ut & disciplinam Dei agnoscant, & propter imbecillitatem ac trepidationem suam non desperent.

Quæ tres ultimos uersus concernunt, suprà uers. 7. & 8. notata sunt.

P S A L M V S LXXXIX.

Intellectus Etham Ezraitæ.

Argumentum Psalmi.

Celebrat hoc psalmo Propheta bonitatem ac fidem Dei, in eo præsertim, quod fœdus cum domo Dauid in sempiternum pepigit, in quo pulchrè regni Christi, cuius typus in regno Dauidis fuit, & stabilitas & perpetuitas delineatur.

Diuisio psalmi.

- 1 Sunt autem psalmi huius quinque partes. Prima propositionem habet, quid uidelicet hoc psalmo Propheta celebrandum sibi in Deo desumpserit, uers. 1. & 2.
- 2 Altera, oraculum Dei, de fœdere cum Dauidè initi citat, uers. 3. & 4.
- 3 Tertia, insigni quadam doxologia fidem, bonitatem, potentiam & iusticiam Dei celebrat, à uersu quinto usque ad decimumnonum.
- 4 Quarta, promissionem Dei inducit, quam Dauidi ac posteris eius fecit, à uersu 19. usq; ad 38.
- 5 Quinta, querimoniam habet de prophanatione ac uastatione regni ac populi Dauidis, cum petitione ad Deum, ut fœderis cum Dauidè initi memor esse uelit, à 38. uersu ad finem usq; Psalmi.

PRIMA PARS.

Bonitatem Domini in æternum cantabo, generationi & generationi notam faciam fidem tuam ore meo.

Quoniam dixi, In æternum bonitas ædificabitur: cœlos firmasti, fides tua in eis.

LECTIO.

Vers. 1.

Bonitatem Domini. Ebr. est *חַסְדֵּי יְהוָה*, id est, Bonitates Domini. quod uetus legit, *Misericordias Domini*; sicut & Arabs & Hieron. & Græcus.

Quia dixi.) Ebr. *אמרתי*. Græcus legit, *ὅτι εἶπα*, Quia dixisti. Et Arabs, Quoniam tu loquutus es. Et Hieronymus quoque, Quia dixisti, legit. Verum Chaldaeus Ebræa sequutus, legit *אמרתי* id est, Quoniam dixi.

In æternum bonitas ædificabitur.) Ebr. est *עולם חסד יבנה*, quod quidam cum Chaldaeo reddunt, Mundus misericordia ædificabitur. Nam *עולם* aliquando in scripturis pro mundo ponitur.

Cælos parasti, ueritas tua in eis.) Ebr. est *שמים יכון אמרתך בהם*, quod uariè legitur. Græc. dictio- nem Cælos, præcedentibus sic iungit, Misericordia ædificabitur in cælis. Alij sic, Cælos stabili- les, ueritas tua in eis. Sunt qui sic legant: In cælis fidem tuam constituisti. Pagnin. sic: In cælis fir- mabis ueritatem tuam. Hieron. Cælos fundabis, ueritas tua in eis. Augustin. Iustin. sic: Cæli, concinnabis ueritatem tuam in eis. Hanc diuersitatem dictio *הכון* parit, quæ aliquando funda- re, aliquando parare, ordinare, disponere, constituere, quandoque firmare & stabilire significat. Deinde quoniam inter *שמים*, id est, Cælos, & *אמרתך*, id est, fides tua, posita est, fit ut ab alijs ad Cælos *שמים*, ab alijs ad sequentem dictionem *אמרתך* applicetur. Posset totus hic uersus etiam sic legi, Si dixero mundum, bonitate Domini ædificatus est: si cælos, stabiluisti fidem tuam in eis.

Bonitatem Domini in æternum cantabo.) Habet hic uersus propositionem Prophetæ, qua se bonita- tem ac fidem Domini non semel tantum atq; iterum, sed perpetuò cantaturum, alijsq; declaratu- rum pollicetur: quæ propositio uerè est animi ad laudandum Deum usque adeò inardentis, ut non sit contentus bonitatem Dei per seipsum ore suo decantasse, nisi huius cognitionem etiam apud alios prouehat. Ideo non solum dicit, Bonitatem Domini in æternum cantabo: sed ut expo- nat, quo sit hoc facturus animo, addit: Notam faciam fidem tuam ore meo. Quibus? Generationi & generationi. Quantum in me est, inquit, cantico meo efficiam, ut non præsentis modò genera- tionis, sed & uniuersis ex ordine subsequenter bonitas & fides Domini innotescant. Hoc scili- cet est cantici huius propositum. Et ad affectus huius ardorem exprimendum etiam hoc facit, quod per apostrophæ mutata persona dixit, Notam faciam fidem tuam. sicut & illud quod sub- didit, dicens, Ore meo: quasi significans, os suum ad hoc se consecrasse, ut laudem Domini decan- taret, & bonitatem ac fidem eius generationi & generationi annuntiaret ac manifestaret. Ad- iungit autem bonitati fidem, uel, ut alijs quidam reddunt, ueritatem: quæ nihil hic est aliud, quàm constantia bonitatis, qua fit ut perpetuò bene uelit illis, quos bonitate sua complexus est. Memi- nit uerò huius præcipuè propter tæderis cum Dauide initi commemorationem, quam hoc psal- mo facturus est. Nisi enim fides sit, non poterit ullum fœdus consistere.

Quoniam dixi.) Veluti rationem hoc uersu reddit, quid de bonitate ac fide Domini decantare, ac posteris notum facere cupiat. Quoniam dixi, inquit, id est, Quoniam hoc sentio, cogito & dico, celebro & prædico, quod bonitas tua in sempiternum ædificatur, id est, firmatur & stabilitur: & quod cæli, quos firmasti, fidei tuæ constantia perstant. Bonitati igitur ac fidei Dei hoc uersu per- petuitatem adscribit, quod non solum dictione *עולם*, quæ æternitatem significat, sed & ædifi- candi uerbo exprimere uoluit.

Bonitatem Domini.) Principiò notandum est, quod Propheta, cum tam multa in Deo admiranda sint planè & de prædicanda, mox tamen psalmi huius initio bonitatem Dei celebrandam sibi de- sumpsit. Non est hoc præter rationem factum. Omnium enim eorum quæ cum mortalibus à Deo uerè admiranda & stupenda aguntur, fons quidam est infinita illius bonitas. Huic debemus om- nia quibus fruimur. Seruiunt huic dilectio, beneuolentia, gratia, sapientia, prouidentia, iusticia & potentia Dei, quarum omnium illa moderatrix quædam est & gubernatrix. Quod enim nos dili- git, gratia ac beneficentia sua prosequitur, sapientia, prouidentia & potentia sua gubernat ac pro- tegit, quod cum peccatores simus, iusticia sua non confestim perdit: non poterit quisquam aliam assignare causam, præter unam hanc bonitatem illius, quam Propheta hic non frustra statim prin- cipio psalmi extollere ac celebrare proponit.

Cantabo in æternum.) Obseruandum est, quod non dicit, Bonitatem Domini loquar: uel, narra- bo, sed cantabo. Habet diuinæ bonitatis celebratio adiunctam sibi piæ mentis læticiam & exulta- tionem, quæ non potest melius effundi quàm cantico: ut non simpliciter dicatur, quàm bonus & fidelis sit Deus, sed effusissima cordis exultatione & delectatione cantetur. Habet etiam suauitas illa, & exultantis animi exuberantia, quæ cantando auditorum auribus infunditur, admirabilem quandam mouendorum affectuum energiam, ut non frustra inditum sit hoc pijs mentibus spiri- tus S. consilium, ut mirabilia Dei populo illius inculcanda canticis ad hoc compositis, comple- cti & memoriæ mandare, decantandaq; proponere uoluerint. Simul & hoc notandum est, quod non est præsentis cantico bonitatem Dei celebrasse contentus, nisi & in futurum se, imò in sempiternum quoque decantaturum illam polliceatur. Sic solet animus zelo laudandæ diuinæ bonitatis accensus. Væ nostro torpori ac frigori. Vix ultra unam & alteram cantiunculam in laude Dei durare possumus.

Notam faciam fidem tuam.) Videmus hic, quàm non sit contentus pius animus quod ipse diui- næ fidei cognitione ac sensu præditus est, nisi hanc etiam alijs notam faciat. Scientia hæc diuinæ bonitatis ac fidei, cum meritò omnium sit scientiarum uocanda scientia, ac supremæ sapientiæ lo- co ducenda, proq; infinito quodam ac preciosissimo thesauro habenda: omnino tamen ab arro-

EXPLA-
NATIO.
Vers. 1.

Vers. 2.

OBSER. I.

OBSER. II.

OBSER. III.

gantiæ & inuidentiæ spiritu libera est, quo seculi huius scientiæ mortalium animos plerumq; inflatos reddunt ac polluunt. Bonum hoc quanto est diuinius, tanto natura sua gliscit esse communius. Societatem & communicationem amat hic thesaurus. Hinc datum est a Deo prædicandæ huius sapientiæ munus, & spiritualium cantionum usus obtinuit in ecclesia.

OBSER. *Generationsi & generationi.*) Obseruandum & hoc est, quod non solum præsentis sætatis, sed IIII. & sequentium rationem habet, cognitionem hanc bonitatis ac fidei. Dei ad uniuersam omnium

*Hac de re & su
pra Psal. 78. di-
ctum est.*

subsequentium seculorum posteritatem prouehere cupiens. Nouit enim spiritus iste propheticus, quàm citò illa in mortalium animis euanescat, nisi perpetua quadam refrigeratione renouetur. Est autem omnium iustissimum, ut sicut bonitas Dei perpetua quadam serie cunctas generationes complectitur: ita & cognitio ac deprædicatio illius, non ad præsentem modò, sed & ad posteras ætates propagetur. Quo igitur spiritu abducti sunt, qui ecclesiæ Christi intelligibilem præfallendi & cantandi usum ademerunt, & peregrinum ac incognitum induxerunt? Seruiat igitur generatio generationi, præcedens succedenti, in propaganda hac diuinæ bonitatis cognitione. Inueniant posteri nostri in ecclesia usum diuinæ laudis talem, unde in hac diuinæ bonitatis scientia instituuntur, quam & ipsi suæ posteritati post se relinquant. Quid nobis maiores nostri & præcedentes aliquot generationes in ecclesia reliquerint, magno nostro malo experti sumus. Nostro itaque damno cauti redditi, curemus ita præsentem instituere ecclesiam, ut nihil post nos residui relinquatur, quod posteris nostris ulla ratione diuinæ bonitatis cognitionem obscurare queat.

OBSER. V. *Quoniam dixi, In æternum bonitas ædificabitur.*) Consideremus etiam hanc particulam, qua bonitati Dei ædificationem adscribit, eamq; perpetuam. In æternum, inquit, bonitas ædificabitur. Certe est autem, quod de nulla alia, quàm Dei bonitate loquatur. Quæri poterit hic, quomodo hanc ædificari dicat, cum in se sit perfectissima & omnium absolutissima. Aedificari autem rectè dicuntur, quæ uel antea non fuerunt: uel talia non fuerunt: uel certe nisi ædificentur, collabi ac interire possunt. De bonitate uerò Dei nemo piorum hoc unquam senserit, quod in se ædificatione hac opus habeat. Non est igitur cogitandum, quod hoc sensu Propheta loquatur. Proinde necesse est, ut bonitatem Dei non in seipsa, sed in operibus illius, perpetuisq; & indefinendis beneficijs ædificari dicat, ne cognitio illius in ecclesia, & animis piorum intercitat, sed quasi quoddam ædificium firmum ac solidum perpetuò consistat.

² Et in eo quoq; quod dicit, Cælos firmasti, fides tua in eis: notandum nobis est, quomodo fidei Dei firmitatem, cælorum stabilitati coniungat, inq; illa hanc nobis considerandam proponat. Fides tua, inquit, in eis. Non est hoc ita intelligendum, quod fides Dei cælis sit inclusa, cum illa non D cælum modò, id est, cælestia, sed & terram, & quæ in terra sunt omnia repleat & conseruet. Nec cogitandum est, quod cælorum firmitatem, fidei Dei adæquet Propheta. Absit. Cælum enim creatura est, uanitati & corruptioni obnoxia: quod de fide Dei dici non potest, quæ & æterna est in Deo, nec ulli mutationi subiecta. Verùm quoniam in illis quæ creata sunt, maior quædam cælorum firmitas deprehenditur, uisum est Prophetæ fidem Dei in cælis tantopere obfirmatis commendare, considerandamq; proponere. Alioqui si demas illis fidem Dei, unde subsistent? Quod itaq; dicit, Cælos firmasti, fides tua in eis: idem est ac si dicat, In cælis quos firmasti, fides tua re- lucet. Cælorum firmitas fidem tuam prædicat. Docemur igitur hoc loco, quomodo cælorum firmitate ad considerandam fidem Dei inducamur, ut cogitemus quanta sit diuinæ bonitatis fides & constantia, si tanta est creaturæ uanitati obnoxia. Quantum uerò consolationis in aduersis omnibus perpensa fidei Dei constantia adferat, spiritu fidei sentient electi citius, quàm ut lingua exprimi ualeat. Rursus fieri nequit, ut sine illius sensu Deo solidè cohæreamus. Quemadmodum enim illius firmitate consistunt omnia, quæ in cælo & quæ in terra sunt: ita certè necesse est, ut Deo indiuisè cohæseri, sensu illius per spiritum Dei afficiantur.

ALTERA PARS.

³ Percussi fœdus cum electo meo, iuravi Dauidi seruo meo.

⁴ Vsq; in æternum stabiliam semen tuum, & ædificabo à generatione ad generationem sedem tuam. Selah.

LECTIO. *Percussi fœdus cum electo meo.*) Ebr. est, *לברית*. quod si legas, *לברית* significat pluraliter, Electis meis: sicut & Græcus reddidit, *τοῖς ἐκλεκτοῖς μου*. Et Arabs pluraliter, mutata quoq; persona, sic legit: Pactus es pactum electis tuis. Verùm Chaldæus singulariter legit, Percussi fœdus Abrahamo electo meo. In reliquis nihil est discriminis.

EXPLANATIO. Duobus hisce uersibus Propheta oraculum ipsius Dei de fœdere cum Dauide inito inducit, ac præcedentibus de bonitate ac fide Dei subiungit. Percussi fœdus, inquit Deus, cum electo meo, iuravi Dauid seruo meo. Significat hoc oraculo Propheta regnum Dauidis diuini fœderis uirtute obfirmatum esse & munitum. Non facit Deum dicere: Promisi Dauidi electo & seruo meo: sed, Percussi fœdus cum eo, illiq; iuravi, id est, iuramento fidem meam illi obstrinxi. Quibus uersibus humano more diuinæ promissionis ac fidei firmitatem spiritus sanctus exprimere uoluit, dum fœ-

dum fœderis ac iuramenti meminit. Non autem simpliciter dicit, Percussi fœdus cum Dauide, & iuravi Dauidi: sed addit, Electo meo, & seruo meo: ut simul & gratiam & obsequium suam erga personam in fœdus assumptam, & munus illi impositum exprimat.

Vsq; in æternum stabiliam semen tuum.) Post commemoratum fœderis pactum, promissionem quoq; illi annexam subiungit. Hanc complectitur seminis ac regni Davidis in sempiternum stabiliendi firmitate, quod uidelicet & semen illius, & regnum perpetuò uelit firmum reddere & stabile: quam perpetuitatem utrobique cum ad seminis, tum ad regni stabiliendi promissionem adiecit.

Vbi uerò fœdus hoc cum Dauide pactus sit Deus, non potest certior scripturæ locus assignari, quam qui 2. Sam. 7. ad huc modum legitur: Cumq; completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semē tuū post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum eius. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam sedem regni eius usq; in sempiternum. Et postea. Et stabilis erit domus tua, & regnum tuum usq; in æternum ante faciem meam, & sedes tua erit firma iugiter. Hæc in oraculo Dei ad Dauidem per prophetam Nathan factò commemorantur: unde Psalmi huius argumentum desumptum esse patet.

Percussi fœdus.) Expendendum hic est pia cum admiratione, quòd Deus cum homine, immortalis cum mortali, potentissimus cum infirmissimo, iustissimus cum iniustissimo, ditissimus cum pauperissimo, felicissimus cum miserrimo, fœdus inire dignatus est. Miratur Propheta, quòd Deus hominis metnor est, ac filium hominis uisitat. Quanto quæso maiore admiratione dignum est, quòd etiam illi coniungitur, idq; non simpliciter, sed fœderis etiam obstriktione? Si homo de seipso hoc affirmaret, quòd fœdere sibi iunctus & obstrictus esset Deus, quis non illum temeritatis damnet? Iam Deus ipse inducitur hoc de se ipso affirmans, quòd fœdus cum homine percussisset. Quis piorum non uidet hac in re, quanta sit pietas & benignitas Dei? Notandum etiam hic est uerbum ברית, quo spiritus sanctus utitur. ברית, inquit, ברית. Significat autem hoc uerbum incidere. Solebant enim fœdera antiquitus uel æri, uel saxo, memoriæ, posteritatis ac diuturnitatis gratia incidi & insculpi. Iam hoc nostro seculo pulueri obiter inscribuntur. Seruitur autem hac loquutione fidei piorum, ut certi sint de fide diuini fœderis nō leuiter initi, sed perpetuo cuidam marmori insculpti. Marmor uerò hoc nihil est aliud, quam immotissima illa Dei fides ac ueritas.

Cum electo meo.) Notandum hic est, quòd non dicit, Cum iusto & perfecto, aut bene merito: sed, Cum electo meo. Principium fœderis Dei est, non nostra iusticia aut meritum, sed libera illa electio, qua sibi, quos uult, pro obsequio sua in hanc fœderis gratiam ac felicitatem eligit. Fœdus Dei est cum electis eius. Non potest alia illius causa assignari, quam libera electio.

Simul & hoc notandum est, quòd non dicit, Cum eligente: sed, Cum electo: nec, Cum electo populi: sed, Cum electo meo. Dauid enim nec elegit ipse potentiam hanc regni, sed ad illam electus fuit: nec à populo electus fuit, sed à Deo. De electione illius uide primo Samuelis decimosexto, quæ & ipsi & patri ac fratribus planè inopina, deinde & populo prorsus diu incognita fuit. Pleriq; magistratus hodie magis sunt eligentes, quam electi: uel certè prius eligentes, quam electi: multi etiam, non Dei, sed quorundam carnalium hominum electi sunt. De illis non est cogitandum, quòd in fœdere sint cum Deo, cuius electi dici non possunt.

Iuravi Dauidi.) Et hoc summa admiratione dignum est, quòd Deus in scripturis inducitur, non solum fœdera cum mortalibus iungens, sed & ad illorum confirmationem iurans. Mos est inter homines, isq; admodum necessarius, ut promissa iuramento confirmetur, quo illa, etsi non ex cordis ueritate, interpositi tamen numinis religione, seruentur. Quæ est igitur ratio, quòd Deus homini iurat, cum conueuiens sit, ut homo Deo iuret? Neque enim de Deo dici potest, quòd sit parum sincerè fidei seruans, cum sit solus uerax, omnis autem homo mendax: deinde certum est, non esse nec in cælo quenquam, nec in terra, cuius tanquam maioris ac potentioris religionis ad seruandum promissa, iuramento interposito, si hæc præstare fidemq; seruare nolit, adigi queat. Vnde & Ebræ. sexto legimus, quòd cum maiorem non habeat, per semetipsum iurauerit. Mirabilis est autem ista sui ipsius religio & reuerentia. Verum quæ diuini iuramenti ratio sit, loco iam citato uidere est, ubi sic legimus: Qua in re Deus cum eximie uellet hæredibus promissionis ostendere firmitatem consilij sui, interposuit iusiurandum, uti per duas res immutabiles, in quibus fieri non posset, ut mentiretur Deus, ualidam consolationem haberemus, qui huc confugimus, ut potiamur proposita spe, &c. Ergo iuramentum Deo ob eam causam tribuitur in scripturis, non ut hoc ille nobis ad seruandam fidem obstrictus, alioqui illam non seruaturus, teneatur, sed ut infirmæ nostræ fidei consulatur. Vsq; adeò uidelicet infinita illa se maiestas ad ad corruptibilem puluerem, quem summa pietas & benignitas complexus est, demisit, ut illi se, interposito etiam iuramento, obstrinxerit. Quem dabis mihi principem, qui seruis iuratum se fieri sustineat? Moris est, ut serui iurati sint principibus ac dominis suis, non domini seruis. Hic contrarium uidemus. De iuramento Davidis Deo factò non legimus: de Dei uerò Dauidi factò hic, & alijs alijs quot locis mentionem fieri uidemus. Ratio huius est, quòd scriptura ad confirmandam fidem populi Dei non hoc agit, ut quæ fuerit Davidis erga Deum fidei obstrictio, de quo tamen nihil est dubitationis animis pijs, quin Deo fuerit fidelissimus: sed ut quæ sit Dei erga electos suos ad populum fœderis fidei firmitas, non simpliciter promissa, sed interposito etiam iuramento corroborata, animis nostris non solum proponat, sed & penitus inculcet.

OBSER. I.

Psal. 8.

2

OBSER. II.

1

2

OBSER. III.

Ebr. 6.

- OBSER.** *Seruo meo.*) Respicit ad iniunctam regni administrationem, in qua Dauidem seruum habebat. C
- IIII. Videmus ergo hoc loco, reges esse seruos Dei. Est enim regnum non hominis alicuius, sed Dei.
- Psalm. 22.* Domini est regnum, inquit Propheta alibi. & addit, Et ipse dominatur gentibus. Neque enim Israelis tantum, sed & omnium reliquarum gentium rex est. Vnde & Hier. 25. Nebucadnezar rex Babylonis, seruus Dei uocatur. Ipse siquidem dat reges, & rursus adimit, mutat ac transfert regna, & corda regum terræ in manu sua habet. Vnde haud immerito serui illius uocantur. Hinc tamen nemo piorum colliget, contemnendos esse reges ac principes, eo quod serui Dei sunt, & non domini: sed ob hoc ipsum eos magis etiam honorabit, sicut & apostolus Petrus hortatur, dicens: Deum timete, regem honorate.
2. Simul & hoc notandum est, cum dicit, Iuravi Dauidi seruo meo: fœdus hoc Dei cum Dauid in initum, non tam ad personam illius, quam ad ipsam regni administrationem pertinere. Iurauit illi Deus, sed ut electo ac seruo suo, hoc est, ut regi populi Israelis, ut hoc iuramentum fœderis reuerentia populum Dei, cuius rex erat Dauid, cōcernat. qua de re secundo Samuelis septimo sic legimus: Et ponam locum populo meo Israeli, & plātabo eum, & habitabo cum eo, & non turbabitur amplius, nec addent filij iniquitatis, ut adfligant eum sicut prius, ex die qua constitui iudices super populum meum Israel. Quod enim Dauidem uirum secundum cor suum ad regni administrationem elegit, nec sibi hoc, nec Dauidi, sed populo suo beneficij loco præstitit.

QVÆ OBSERVANDA SINT

in uersu quarto.

Præcedenti uersu dixit se Deus iurasse Dauidi seruo suo: iam consequenter, quid illi iurauerit, exprimit. Est enim iurare alicui, quædam cum iuramento promittere. Vsq; in æternum, inquit, stabiliam semen tuum, & ædificabo sedem tuam in generatione & generationem. Hæc est promissio Dei ad Dauidem facta, & iuramento obfirmata, in qua sunt hæc notanda.

- OBSER. I.** Principio obseruandum hic est, quod beneficentiam suam, non solum ipsi Dauidi seruo & electo suo, sed & illius semini pollicetur. Hæc est immensa illa, & nunquam satis expensa Dei bonitas, qua non solum cum fidelibus suis, sed & ipsorum posteris fœdus inire dignatur. Sic ad Abrahamum dicebat Genes. 17. Statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus & Deus seminis tui post te. Sic Exodi 20. dicit, se in mille generationes benefacturum posteris eorum, qui se diligant. Hanc gratiam impendit electis suis, ut non ipsis solum, sed & posteris eorum propter ipsos beneficiat. Sic & Esaiæ trigesimo septimo sub Ezechia contra regem Assyriorum de ciuitate Hierusalem dicit: Non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem. In uia qua uenit, per eam reuertetur, & ciuitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus. Et protegam ciuitatem istam, ut saluem eam, propter me, & propter Dauid seruum meum. Et secundo Regum octauo, noluit Dominus disperdere Iudam, propter Dauid seruum suum. Curemus igitur ut tales in conspectu Dei, fide ac dilectione simus, in quorum gratiam posteris nostris beneficiat. Non poterimus illis meliore ac ceteriore ratione consulere.

- OBSER. II.** Secundo loco notandū est, quale genus beneficentiæ semini Dauidis pollicetur sit. Stabiliam, inquit, semen tuum. Est autem stabilitas ista non simplex quædam diuturnitas, sed & immota rerum prosperitas, sicut illa infrā declarabitur. Iam quæ Deus pollicetur, talia sunt, ut nec a quoquam, nisi ab ipso dari possint, nec impijs speranda sint. Pollicetur hic stabilitatem seminis Dauidi seruo suo. Nequit igitur illa acquiri a quoquam nisi a Deo. Nec maiores ergo posteris suis hæc dare, nec ipsi posteris sese quantiscunq; uiribus & opibus præditi sint, stabilire possunt: sed solius Dei est, hanc præstare stabilitatem. Deinde nec impijs illa contingit. Est enim talis, quæ pijs promittatur. Sic supra psalmo 37. Semen impiorum, inquit, excidetur. Cum ergo posterorum nostrorum stabilitas a solo Deo dari queat, deturq; pijs tantum, quomodo adeo cæci sumus, ut nec Dei hac in re, nec pietatis maiorem rationem habeamus?

- OBSER. III.** Tertiò expendamus & hoc, quomodo hac in re Deus, ubi semini Dauidis beneficentiam suam & stabilitatem pollicetur, paterno se affectui accommodet, quo maiores posterorum suorum felicitatem impensissimè exoptant: licet antequam hanc uideant, ipsi ex uiuis hinc auferantur, nec ullum post mortem earum rerum quæ posteris usuueniunt, sensum retineant. Quis enim non uidet, quod stabilitatem hanc seminis in gratiam Dauidis promiserit. Iam nisi tali affectu Dauid erga posteritatem suam præditus fuisset, ut promissionem hanc cupide amplecteretur, quæ fuisset Deo ratio hanc illius semini polliceri beneficentiam? Rursus, nisi paternus hic affectus Deo probaretur, quomodo illi sese promissione hac accommodasset, ac Dauidi hac in re gratificatus esset? Imò quomodo Deo non probaretur, quod ipse mortalium animis erga posteros suos naturaliter indidit? Non est igitur in se culpandus hic affectus, quo semini nostro consultum cupimus, cum sine hoc humanus conuictus, ac generis nostri prorogatio conseruari nequeat, modò tollantur circumstantiæ inordinatorum uel desideriorum, uel consulendi modo-

- OBSER.** rum, quæ nec pijs animis conueniunt, nec posteris profunt.

IIII. Quartò notemus & hoc, quod dicit, Vsq; in sempiternum. Non solum præsentibus electorum

liberis,

A liberis, sed & uniuerſæ illorum poſteritati, quæ in humana nondum natura eſt, ſempiternam beneficentiam pollicetur. Da mihi principem aliquem, qui hanc ſuis uerè polliceri, promiſſamque præſtare queat. Pharaon rex Aegypti, beneuolebat ac faciebat etiam Iſraeli propter Iosephum, quem diligebat. Mortuo uerò Iosepho, ac ſimul ipſo Pharaone, qui Iosepho fauebat, ſurrexit in Aegypto rex nouus, qui Iosephum ignorabat, ideoque diuerſum erga Iſraelem animum ostendebat: unde factum eſt, ut prioris beneuolentia ad poſteros, Iosephi morte interueniente, ac ſuccedentis malitia omnia commutante, peruenire nequiebat. At cœleſtis huius regis beneuolentia nec morte ipſius, cum ſit immortalis, nec alterius cuiusquam ſucceſſione, cum nemi- nem ſucceſſorem habeat, obliterari aut interrumpi poteſt, quo minus in ſempiternum electo- rum ſemini benefacere queat. Eſt ergo & hæcenus promiſſio iſta diuina, quod ſempiternitatem beneuolentiæ pollicetur.

Et ædificabo ſedem tuam.) Sedis dictione regnum in ſcripturis intelligitur. Pollicetur ſe Deus re- OBSER. V.
gnum Dauidis ædificaturum. Notanda ſunt ergo iſta. Regna quoque opus habere ædificatione, ¹
alioqui ridiculum eſſet planè, polliceri beneficentiam amico non neceſſariam, qua commodè ca-
rere poſſit, eamque promiſſionem iuramento quoque obfirmare. Non eſt autem iſta promiſſio rei
non neceſſariæ, ſed magnæ, ac proſus talis, quæ ad conſeruationem regni ſummè ſit neceſſaria.
Habent ergo regna opus ædificatione. Iam quod ædificationem ſui expoſcit, in ſeipſo infirmum
ſit neceſſe eſt. Sunt igitur regna in hoc mundo infirma. Si regna infirma ſunt, quid de reliquis re-
bus humanis multo infirmioribus ſentiendum eſt?

Deinde, regnorum ædificationem eſſe in manu Dei. Sic Daniel. 2. Ipſe transfert regna, & con- ²
ſtituit. Alioqui rursus ridiculum eſſet, polliceri Deum ea quæ aliunde queant acquiri. Pollicetur
autem Dauidi, quod regnum illius ædificare uelit. Eſt igitur regni ædificatio ſolius Dei. Iam quo-
tuſque regum terræ eſt, qui regni ſui ædificationem ſoli Deo, & non uel propriæ indiſtriæ ac
potentiæ, uel uiciorum regum ac principum ſœderibus tribuat? Verùm innumera ſunt exem-
pla, quibus manifeſtum eſt factum, regnorum ædificationem extra humanam eſſe indiſtri-
am, copiam & potentiam. Non potuit Salomon, quantumuis potens ac ſapiens, hanc regni ſui ædi-
ficationem dare Roboam filio ſuo, nec ipſe Roboam acceptum regnum tam opulentum ac po-
tens, ne ſcinderetur, conſeruare & ædificare. Habuerunt Aſſyrij, Græci, Romani regna potentiſ-
ſima: uerùm ædificationem illorum nec ipſi habuerunt, nec poſteris ſuis dare potuerunt. uſque
adde res ipſa tot ac tantorum regnorum deſtructione uociferatur, non eſſe regnorum ædificatio-
nem in humanis uiribus, ſed in ſolius Dei manu. Eſt itaque nec Turcici imperij ædificatio in al-
terius cuiusquam, quàm unius Dei manu.

Sexto, obſeruemus diligenter & peculiariter etiam hoc quod addit, In generatione & genera- OBSER. VI.
tionem: quibus uerbis regno Dauidis ſempiternitatem pollicetur. At hanc illud non eſt conſe-
quutum, quod attinet ad ſecularis ac mundani regni formam. Non poteſt autem fieri, ut iuramen-
tum hoc Dei factum ſit irritum. nam inſrâ hoc psalmo, Quæ procedunt de labijs meis, inquit, non
faciam irrita. Et ſicut Apoſtolus dicit: Deus uerax eſt, & omnis homo mendax. Hæc duo ſunt Pſal. 115.
omnium ueriſſima: nempe, Deum eſſe ueracem in promiſſis, & regnum Dauidis in hoc ſeculo iam Rom. 3.
olim regni formam amiſſiſſe, ac proſus interiſſe. Reliquum igitur eſt, ut iſta ſempiternitatis pro-
miſſio ad regnum Dauidis, non quale olim in mundo terrenum ac perituum fuit, ſed quale in ſpi-
ritu eſt, cœleſte, & à regnis mûdi huius diuerſum pertineat. Loquitur igitur Deus de regno Chri-
ſti ſui, non quatenus in typo Dauidici regni tranſitorium & umbratile fuit, ſed quatenus in ipſa
ueritate perpetuum ac uerum eſt. de quo Dominus ipſe ad Pilatum dicebat: Regnum meum non Ioan. 18.
eſt de hoc mundo. & Angelus ad Mariam: Et dabit illi Dominus Deus, inquit, ſedem Dauidis pa- Lucæ 1.
tris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius nō erit finis. Quis non uidet, quo-
modo iſta angeli uerba diuinum hoc oraculum Dauidi, de regni illius perpetuitate factum reſpi-
ciant & exponant? Neceſſe igitur eſt, ut & ipſe regni huius rex Chriſtus filius Dei ſempiternus
ſit, & ut ſemper uiueret, ex mortuis reſurrexerit, & ad cœleſtia aſcenderit, quo regnum hoc in ſem-
piternum poſſideat. deinde, ut regnum hoc Dauidis, id eſt, Chriſti, regnum ſit ſpiritale, non ter-
renum, quo poſſit eſſe ſempiternum. Seruiat ergo hic locus conſolationi fidelium regni huius
ciuium, per hoc quod diuino hoc oraculo & iuramento de regis noſtri ſimul ac regni illius ſem-
piternitate non docemur modò, ſed & confirmamur.

TERTIA PARS PSALMI.

Et celebrant cœli mirabilia tua Domine, & fidem quoque tuam ſancti in
eccleſia.

Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? quis ſimilis erit Domino in-
ter filios deorum?

Deus terribilis in concilio ſanctorum, magnus & tremendus ſuper omnes qui
in circuitu eius ſunt.

Et fidem quoque tuam ſancti in eccleſia.) Ebr. eſt אֱתֵּיכֶם בְּחֵל קִדְשֵׁיכֶם, quod Græcus reddidit, LECTIO.
ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ ἁγίᾳ: id eſt, Etenim ueritatem tuam in eccleſia ſanctorum. ubi ſub-
intelligendum

intelligendum est, celebrant. Quoniam uero sancti illam celebrant, uisum est reddere, Et fidem quoque tuam sancti in Ecclesia.

Inter filios deorum.) Ebr. est בְּבָנֵי אֱלֹהִים, quod potest etiam reddi, In filijs fortium. Græcus uerit, *ἰν υἱοῖς θεῶν*, id est, In filijs Dei: sicut & Hieronymus reddidit. Chaldæus habet, *בְּאִבְנֵי רִסִּי בְּלֵא אֱבֵרָא*, id est, In choris angelorum, Vtitur autem Chaldæus hic Græca dictione *ἀπὸ τοῦ ἰσχυρῆος* deductum, quæ uox turbam & multitudinem significat.

In consilio sanctorum.) Ebr. est בְּסֵדֶר קְדָשִׁים, id est, In secreto sanctorum. Græcus habet, *ἰν ἀποκρύφῳ*, id est, In consilio sanctorum. Hieronymus, In arcano sanctorum nimio. Sequutus est distinctio- nem quæ in Ebræo est, ad hunc modum: *אֵל בְּעֶרְץ בְּסֵדֶר קְדָשִׁים רַבָּה*, id est, Deus terribilis in secreto sanctorum ualde. Verum legenti conspicuum est, dictionem *רַבָּה* sequentibus com- modius coniungi posse quàm præcedentibus: ut, sicut Græcus etiam reddidit, legamus, Magnus & tremendus, &c.

EXPLA- Exequitur hac tertia psalmi parte uates sacrificium laudis, in quo diligenter bonitatem, fidem
NATIO. potentiam & iusticiam Dei celebrat.

Verf. 5. Et celebrant cæli mirabilia tua Domine.) Respicit ad id quod supra uersu 2. dixit: Cælos firmasti, & fi- des tua in eis. Admirabilis quippe cum bonitas & fides, tum potentia & gloria Dei in cælis, quos ipse condidit, relucet. Sic supra psalm. 19. dixit: Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Possunt etiam hoc loco per cælos intelligi cælestes spiritus, qui mirabilia Dei sine intermissione celebrant: qui sensus mihi Prophetæ mentem propius expri- mere uidetur, propter sequentem particulam, qua subiungit, Et fidem quoque tuam sancti in ecclesia: ut significet gloriam Dei tam in cælis à beatis spiritibus, quàm in terris à sanctis in eccle- sia celebrari. Per sanctos autem qui fidem Dei in ecclesia, id est, congregatione, celebrant, popu- lum Dei intelligit, qui in scripturis sanctus uocatur.

Verf. 6. Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino?) Reddit hoc uersu rationem eius quod præcedenti mi- rabilia & fidem Dei cum à beatis spiritibus in cælis, tum à sanctis in Ecclesia celebrari dixit. Ea est, quod nec in cælis quisquam, nec in terris sit, qui Domino possit adæquari. quibus uerbis Dominum omnes tam in cælo quàm in terra excellere dicit. Per nubes autem cælos intelligit, sicut & uicissim per cælos nubes in scripturis intelliguntur, ut cum uolucres in nubibus uolitan- tes, cæli uolucres uocantur. Cum igitur nec in cælis sit quisquam inter cælestes spiritus, nec in terris inter eos qui rerum potiuntur, qui Domino assimilari possit, meritò ab omnibus tam cæ- lorum quàm telluris inhabitatoribus celebratur. Respicit autem magni animi, deq; excellentia Dei super omnia quàm certissimè persuasi, ideoq; & confidentis affectum, quod non simpliciter di- cit, Quoniam nemo est in nubibus qui Domino adæquetur: sed per interrogationis figuram in- stat & urget, dicens: Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? quis similis erit Domino inter filios deorum? Sic enim qui de rebus certissimis loquuntur, urgere & contendere solent.

בר אֱלֹהִים
Iob. 1. Vocat autem filios deorum, hoc loco, filios potetum ac magnatum, id est, more Scripturæ, ipsos potentes ac magnates, qui in Scripturis dii uocantur. Sicut enim filij hominis homines, sic filij Dei dii, & filij potentum potentes dicuntur. Contēdit igitur Prophetæ, non inueniri quenquam supernè inter angelicos spiritus in cælis, nec in terris infernè inter eos qui rerum potiuntur, qui gloria, maiestate, potentia, bonitate ac fide Deo adæquari possit, ut meritò tam in cælis quàm in terris celebretur ab omnibus.

Verf. 7. Deus terribilis in consilio sanctorum.) Par est, ut qui omnes tam cælorum quàm terræ incolæ glo- riæ ac potentie suæ maiestate excellit, ab omnibus immensus imminet, simul etiam terribilis sit & magnus ac tremendus omnibus. Et talis etiam est, sed apud sanctos. Est autem uero simile, Pro- phetam per secretum sanctorum cælestem illam sanctorum spirituum congregationem intelli- gere, quod illa à cognitione & commercio eorum qui adhuc in terris agunt, separata sit. Si uerò quisquam per secretum sanctorum populi Dei in terris agentis concilium intelligendum esse pu- tat, exponat de arca Dei quæ in Sancto sanctorum, quasi secreto & arcano loco abdita erat, quàm sancti ac pij admodum reuerabantur ac suspiciebant. Nec alienū est à scripturis arcam Dei Deum uocari: qua de re supra psalmo 68. uersu 1. Illud, Tremendus super omnes qui in circuitu eius sunt: bifariam potest exponi, ut dicat Deum tremendum esse, aut omnibus, aut supra omnes, id est, plusquam omnes. Est autem utrumque uerum. Neque enim quisquam est cui non sit tremen- dus in se, nec quisquam est qui æquè sit tremendus. Qui in circuitu eius sunt, inquit. Per similitu- dinem dicta est hæc particula. nam alioqui cum Deus sit ubiq; & omnia adimpleat, quem dabi- mus illi circuitum? Si intelligas illum omnibus esse tremendum, qui in circuitu eius sunt, cogita de rege quodam, circa quem satellitum ac ministrorum sit multitudo, quibus omnibus sit tremen- dus. Sic Deus tremendus est omnibus suis ministris, spiritibus etiam tam bonis quàm malis. Si exponas, Supra omnes, id est, plusquam omnes: cogita de rege quodam ita tremendo, ut similem non habeat inter omnes uicinos potentatus: ut intelligas nec in cælo esse quenquam, nec in ter- ra, qui æquè tremendus sit atque Deus.

OBSER. I. Et celebrant cæli mirabilia tua Domine.) Si de cælis illis uisibilibus intelligimus hanc particulā, no- tandum est piorum ingenium, quomodo in cælorum contemplatione admirabilem Dei condi- toris potentiam, bonitatem, fidem ac gloriam considerēt. Aures habent ad audiendam cælorum prædica-

prædicationem, qua illi gloriam Dei annunciant ac deprædicant. Reliqua fex carnalium & impiorum hominum pecudum more, ut terram, & omnia reliqua Dei opera, ita & cælos absq; ullo diuinæ gloriæ sensu uidet. Sed hac de re uide supra psalmo decimonono.

Si uero per cælos, cœlestes spiritus, qui cælos incolunt, intelligimus: notandum uenit hoc loco, quo sint beati spiritus erga genus humanum affectu præditi, in eo quod admirabilem Dei bonitatem, fœdere cum Dauide ac semine eius inito declaratam, deprædicant ac celebrant. De hac quippe loquitur hic Propheta. Sic à Christo Matth. 18. propter unius peccatoris resipiscientiam angeli in cœlis gaudere dicuntur, sunt enim à Deo constituti electorum ministri, & sicut in Deo sunt, qui charitas est, ita & charitatis erga nos affectu præditi de salute nostra gaudent, inq; hac bonitatem Dei celebrant & extollunt. Hebr. 1.

Simul & hoc notandū est, quod bonitatē Dei fœdere hoc cum mortalibus inito expressum, cuius laudem initio psalmi pollicitus est, *יְהוָה אֱלֹהֵינוּ*, id est, miraculum Domini uocat. Merito illam admirantur & celebrant, non homines modo, sed & ipsi cœlestes spiritus. Quis enim satis admirari poterit, quis non stupebit, si serio expendat, quod diuina illa & infinita maiestas fœdus cum hominibus, terra & puluere, inire, idq; iuramento etiam confirmare dignatus est? Ea res usque adeo mentem Prophetæ obstupescit, inq; diuinæ bonitatis admirationem rapuit, ut non dubitet illam etiam ab angelis in cœlis deprædicari, asserere. Si hoc faciunt angeli, quid nostram quæso tepiditatem & ingratitudinem excusari poterit?

Et fidem quoq; istam sancti in ecclesia. Duo sunt hic notanda. Vnum, quod populum Dei sanctos uocat. Sed hac de re uide supra psalm. 16. ibi: Sanctis qui sunt in terra eius. Alterum, quid in ecclesia sanctorum fieri debeat. Celebrant, inquit, sancti fidem tuam in ecclesia. Ergo in congregatione sanctorum bonitas ac fides Dei celebrari debent. In hunc usum compositi sunt psalmi, quos & Apostolus Christianorum ecclesijs commendat. Verum non est prætereundum, quod istam fidei Dei celebrationem Propheta non quibusuis in ecclesia, sed sanctis adscribit. Sancti, inquit, celebrant fidem tuam in ecclesia uel, si secundum 70. legas, Fidem tuam celebrant in ecclesia sanctorum. Neq; enim illa à phanasis & carnalibus hominibus celebrari potest. OBSER. II.

Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? Sunt & hoc uersu duo notanda. Vnum, quod tanta confidentia Propheta nec in cœlis quenquam, nec in terris Deo similem esse contendit. Affectus hic piorum bene notandus est, de quo & supra psal. 86. uers. 8. quædam diximus. Quam felices essemus, si & ipsi Deum ad hunc modum cum Propheta uerè & ex animo super omnia extolleremus? Qui nāq; de Deo sic sentit, ut uerè & ex animo dicat, Quis in nubibus æquabitur Domino? quis similis erit Domino inter filios deorum? nunquam poterit illi aliquem uel in cœlis, uel in terris siue diligendo, siue obseruando & colendo præferre. Alterum est, quod istam excellentiam Dei Propheta rationis uice adducit, ob quam merito à cœlestibus spiritibus pariter & sanctis in ecclesia celebretur. Quis est igitur impius ille factus magnatum, diuitum ac potentum, quo turpe sibi futurum putant, si in ecclesia cum reliquo sanctorum cœtu bonitatem ac fidem Dei celebrent, quam ipsi quoq; cœlestes spiritus, utiq; uniuersis mundi huius regni potentiores, in cœlis perpetuo celebrant & extollunt? Inuenias plerosq; diuites & magnates, quos cum non pudeat fluxam terreni alicuius regis magnificentiam & gloriam prædicare, pudeat ad celebrandum cum ecclesia sanctorum excellentissimam illam Dei maiestatem ora uel tenuiter soluere. OBSER. III.

Deus terribilis in concilio sanctorum. Primum notandum hic est, quod Deum terribilem ac tremendum esse dicit, ob id quod omnes tam cœlestes, quam terrenos potentatus incomparabiliter excellit, sicuti uersu præcedenti meminit, ac sequenti quoque repetiturus est. Admonemur igitur, omnium esse æquissimum, ut hunc in omnibus ac super omnia reueremur, infra cuius maiestatem ac potentiam abijciuntur omnia. Quo quisque in rebus humanis reliquos mortales maiore uirtute, potentia ac maiestate ita superat, ut parem non habeat, hoc maiore etiam reuerentia ac tremore suspicitur, obseruatur & colitur. Quæ poterit itaq; nobis esse excusatio, si Deo omnium potentissimo, cui nec in cœlis quisquam, nec in terris similis reperiri potest, id denegauerimus, quod mortalibus, pulueri ac terræ absq; ulla tergiuersatione exhibemus? OBSER. IIII.

Deinde quærendum hic uidetur, primum quomodo terribilis sit Deus, cum in uniuersa scriptura bonus prædicetur. Deinde, etsi nonnullis terribilis sit, quomodo sanctorum concilio terribilis esse possit. Tertiò, quomodo hoc prædicatum de Deo, quod terribilis ac tremendus dicitur, ad celebrandam illius bonitatem, adeoq; & ad præsentis psalmi argumentum faciat. Principiò, nihil impedit unum & eundem Deum & bonum esse simul, & terribilem ac tremendum. ut enim infinita bonitate bonus, ita & infinita maiestate ac potentia terribilis ac tremendus est. & sicut bonitas & maiestas, utraq; immensa in Deo simul consistere possunt: ita nihil habent aduersi inter se duo hæc prædicata, quod & bonus ac terribilis dicitur. Aliud est esse terribilem malicia, quales sunt ferè bestię, tyranni, & mali spiritus: & aliud maiestate, potentia & autoritate, quales sunt parentes, magistratus, reges ac principes, boni etiam spiritus, & cum primis Deus. Cōtraria sunt inter se bonitas & malicia, nō bonitas & maiestas: sicut de illis qui mali sunt, ac propter maliciam terribiles, prædicari non potest, quod boni sint: sic de illis qui boni quidem sunt, sed iuxta potentes etiam, dici non potest, quod maliciæ gratia terribiles sint ac tremendi. Nihil habent igitur contrarij inter se in Deo bonitas & maiestas, ideoq; unus & idem & bonus pariter ac terribilis rectè prædicatur.

prædicatur. Ad alteram quæstionem, quomodo sanctorum concilio terribilis esse possit, respon-
deo breuiter: Sicut in Deo nihil habent inter se contrarij bonitas & maiestas, ita & in sanctis non
pugnant inter se sensus diuinæ bonitatis & tremor maiestatis: imò nisi hæc coniuncta sint, non
poterit in sanctis uera consistere cum pietas, tum obseruantia Dei. Sicut & in filio non potest esse
erga parentum germani filij affectus ac reuerentia, nisi parentis agnoscatur utraque & bonitas &
maiestas, ita ut à filio propter bonitatem ametur, & propter maiestatem & excellentiam pater-
nam suspiciatur & obseruetur. Ad hunc modum idem Deus ijsdem sanctis ac pijs, propter im-
mensam bonitatem amabilis, & propter infinitam numinis ac potentia maiestatem terribilis est
uehementer. Sic psalmo secundo exigitur à regibus ac principibus, ut Domino seruiant cum ti-
more, & exultent cum tremore: ubi tremor & exultatio coniunguntur.

3 Ad tertiam quæstionem, quomodo ad celebritatem diuinæ bonitatis, quam hoc psalmo Pro-
pheta cepit, prædicatum hoc faciat, quod Deus terribilis dicitur, ita respondendum iudico: Quia
in præcedentibus bonitatem Dei fœdere cum mortalibus, Dauide ac semine eius, adeoq; & po-
pulo Israelis, inito declaratam, miraculum Dei uocauit: pulchrè ad huius considerationem & am-
plificationem facit, quod Deum hic terribilem ac tremendum super omnes inducit. Considera-
ta siquidem immensa illius maiestas & potentia, mirum in modum bonitatis huius admirandæ
ac stupendæ stuporem & admirationem, atque ita & celebrationem in animis piorum generat.
Quid enim aliud in eo prædicari potest, qui cum omnium sit ditissimus, potentissimus, ac maxi-
mus, ita ut nullius operam requirat, omnibus uerò succurrere possit, nihilo tamen minus fœdus
ineat cum omnium humillimis, abiectissimis ac pauperrimis, illorumq; se protectorem consti-
tuat, quàm quod usque adeo sit bonus & quid sit, ut magis cupiat alijs prodesse, quàm de ma-
iestate sua inolescere? Ad bonitatis huius & humanitatis amplificationem, quis non uidet, quo-
modo considerata maiestas & potentia, terribilis in se ac tremenda, plurimum faciat. Longè au-
tem secus habet, si qui pauper est, aut mediocri fortuna, uel cum paribus uel cum potioribus
fœdus ineat: in quo non statim potest instituti huius causa ista reddi, quod motu bonitatis id
faciat, cum fieri possit, ut ea in re necessitati suæ consulat potius, quàm aliorum commodo. At
in Deo nihil tale cogitari potest. Relinquitur igitur, nihil aliud esse in causa fœderis huius, quàm
infinitam illius bonitatem. Ita uidelicet considerata terribilis illius ac tremenda maiestas, boni-
tatem eius omnium reddit illustrissimam. Constat itaque unum & eundem Deum & bonum
esse & terribilem, & sanctis quoque amabilem esse ac tremendum: maiestatisq; illius terribilis ac
tremendæ considerationem plurimum ad hoc facere, ut admirabilis eius bonitas magis atque
magis elucescat, celebretur & adoretur.

Cauemus igitur, ne bonitatem hanc & maiestatem in Deo separemus: hoc est, ne ita bonum
esse sentiamus, ut maiestatis reuerentiam & obseruantiam abijciamus, cum illis qui præpostera
bonitatis fiducia seducti, securè contra illius uoluntatem quotidie peccant & delinquant, nec
ullo maiestatis illius metu ad uerum ac sincerum illius cultum retrahuntur: ac rursus, ne ita ma-
iestatem numinis ac potentia eius terribilem ac tremendam esse cogitemus, ut sensum ac fidem
bonitatis eius amittamus, cum illis qui maiestatis eius consideratione absteriti, ad mediatores,
nescio quos, uel mortuos sanctos, uel monachos hypocritas, omnem impetrandæ gratia fidu-
ciam transferunt, atq; ita Deum nunquam bona cum fiducia adorant & inuocant.

OBSE. V. In concilio sanctorum. Notandum hic est, quid sanctorum concilio tribuat: Deum uidelicet esse
Expendendum in illo terribile. Tametsi, ut dixi, uerisimile sit Prophetâ hic de celestibus spiritibus loqui, tamen
hoc est, quod & his quoq; sanctis qui adhuc in terra sunt, particula hæc competenter tribui potest, ut & de ipsis
id est, se- dicatur, quod Deus in ipsorum concilio terribilis sit. Quorû igitur censendum est esse concilium,
cretum, concilij in quo non Deus, sed homo quispiam mortalis terribilis est? Si detur tale concilium, in quo con-
loco ponit, ut in gregentur sancti, quis dubitare poterit, usq; adeo in illo Deum terribilem fore ac tremendum, ut
elligamus, san- iuxta uerbi illius præscriptum cum timore ac tremore instituantur omnia? Vbi uerò conueniunt
Etos etiam in se- homines carnales, ac filij huius seculi, personati pontifices & episcopi, cum umbris suis scribis &
cretis suis consula- pharisæis, ut de talium concilio dici non potest, quod sit concilium sanctorum, expectandumq;
tationibus maie non est, ut in illo terribilis sit Deus: ita nemo futurum speret, ut ad uoluntatem ac uerbi illius ob-
statem Dei terri seruantiâ, quæ Christi necessaria sunt ecclesiæ, quærantur & disponantur.

bilem habere Super omnes qui in circuitu eius sunt. Notanda est hæc loquutio, qua Deus tremendus dicitur esse
præ oculis. super omnes qui in circuitu eius sunt. Si suos habet in circuitu, ergo ipse in illorum medio præsi-
OBSE. VI. det. Sic Deuteronomij septimo ad Israellem dictum est: Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus
in medio tui est, Deus magnus & tremendus. Et capite uigesimo: Nolite metuere, nolite cedere,
quia Dominus Deus uester in medio uestri est. Rursus psalmo 125. dicit Prophetâ: Montes in cir-
cuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui. Mirabilis Deus, qui & in medio suorum magnus &
tremendus præsidet, & in circuitu illorum instar montium est, ut hostium aditum auertat.

8 Domine Deus exercituum quis sicut tu? potentissime Domine: & fides tua
in circuitu tuo.

9 Tu dominaris superbiæ maris: quando fluctus sui os extollit, tu deprimis eos.
Tu con-

A Tu confregisti instar uulnerati Aegyptum: in brachio uirtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.

Tu dominaris superbiæ maris.) Græcus habet, τὸ ὑπέρβιον τῆς θαλάσσης: id est, Potestati maris. Est autem **LECTIO**
Ebr. אַחַת דְּבָאָה כְּחַלָּל רַחֵם: quod certè non potestatem, sed superbiam significat. **Verf. 9.**

Tu confregisti instar uulnerati Aegyptum.) Ebr. est, אַחַת דְּבָאָה כְּחַלָּל רַחֵם. Græcus sic, οὐκ ὑπερβύσιον
ἢ ὑπερβύσιον τῆς θαλάσσης: id est, Tu humiliasti sicut uulneratum superbum. Dictione ὑπερβύσιον
quidem significat: uerum cum aliquoties in scripturis pro Aegypto usurpetur, sicut suprâ psal. 87.
uersu 4. uidemus, & hic Propheta uideatur eius potentia Dei recordari, quam in Pharaone per-
cutiendo ostendit, placuit reddere Aegyptum. Et Chald. de Pharaone intelligit. adjicit enim,
הָרָא בְּרִיעַ חַיִּי, id est, hic est Pharaon impius.

Domine Deus exercituum.) Nequit satis excellentiam Dei celebrare, quæ tanta illi est, ut neminem **EXPLA**
habeat æqualem. Quod igitur suprâ uers. 6. dixit, id hic repetit, dicens: Domine Deus exercituum, **NATIO**
quis sicut tu? Celebrat autem in præsentī excellentiam Dei, cum in potentia, tum in fide eius. Po- **Verf. 8.**
tentiam eius prædicat, cum uocat eum Dominum Deum exercituum: uel, ut alij reddunt, Virtu-
tum, & potentissimum Dominum: fidem uerò, cum subdit, Et fides tua in circuitu tuo: id quod
perinde est, ac si dicat, Omnia quæ circa te sunt, fidem tuam experiuntur, quæ tanta est, ut omnia
circumquaq; repleat: uel si mauis ad hunc modum, Fides tua in circuitu tuo: id est, Omnia tua cons-
ilia & facta ex fide sunt, ac fidem tuam declarant. Simili loquutione nos Germani, si quando ne-
bulonis alicuius insignem maliciam exprimere uolumus, qui usq; adeò maliciosus sit, ut quicquid
loquatur & faciat, nihil præter maliciæ studium obeat, dicimus: Es ist nichts dann eitel buberei
umb in. Ita Propheta hoc loco non simpliciter Deum fidelem dicere uoluit: sed ita per omnia &
in omnibus fidelem, ut omnia illius consilia & facta fidem declarent.

Tu dominaris superbiæ maris.) Potentiam simul & fidem Dei exemplis aliquot considerandam pro **Verf. 9.**
ponit. Potest autem hic uersus tam generaliter quàm specialiter exponi. Generaliter, de eo quod
maris fluctus, quoties libet, deprimat. Specialiter, de insigni illo miraculo, quo primùm dissecto
mari rubro populum suum traduxit, & Aegyptiorum persecutioni exemit: deinde rursus coa- **Exodi 14.**
danato, Pharaonem cum omni suo exercitu disiecit, & undis oppressit. Quanta uerò sit potentia,
dominium exercere in mare illud in domitum ac superbum, quod nemini mortalium quantum-
uis potenti cedit, nec ullius imperium agnoscit, illi potissimū norunt, qui experti sunt. Est autem
dominium Dei in mare non in hoc solum, quòd elationes fluctuum eius deprimat: sed & quòd il-
los excitat, ubi uidetur. Sic infrâ psalm. 107. dicit: Qui descendunt in mare nauibus, qui faciunt
opus in aquis multis, ipsi uiderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Et dixit, & col-
locauit uentum turbinis, & eleuauit undas eius, &c. uide locum.

Sunt qui uersum hunc metaphoricè positum existimant, ideoq; per superbiam & eleuationes
maris, superbiam & ferociam mundi huius ac sublimium regnorum tyrannidem & insolentiam
exponunt, quam Deus potentia sua subinde deprimat. Expositio hæc non est inepta. uerum ma-
ioris uirtutis est marinos fluctus, qui nulli hominum imperio, etiam potentissimo cedunt, quàm
regni alicuius superbiam deiicere: quod nonnunquam humano ministerio facit, dum regna re-
gnis, ac tyrannos tyrannis committit, atq; ita uim humanam alia ui humana confringit. Nihil ta-
men est periculi, etiam si metaphoricam hic expositionem admiserimus. Siquidem utroque sensu
potentia Dei celebratur. nec inusitatum sacræ Scripturæ est, huiusmodi metaphoris uti.

Tu confregisti instar uulnerati Aegyptum.) Complectitur hoc uersu in genere, primùm omnes illas **Verf. 10.**
plagas quibus Aegyptum Deus ita confregit, ut licet haud prorsus sit extincta, instar uulnerati
tamen ac grauiter confRACTI extinctioni fuerit uicina. Has notat, cum dicit, Tu confregisti instar
uulnerati Aegyptum. Deinde & uniuersas Israelis uictorias, quibus contra gentes terræ Cenaar
ope diuina adiutus, ad possessionem terræ promissæ acquirēdā usus est, breuiter notat, cum sub-
iungit. In brachio uirtutis tuæ dispersisti inimicos tuos. Notæ sunt utriusq; partis historiæ.

Domine Deus exercituum.) Notandum est hoc uersu, quòd potentia ac fidem Dei coniunctim cele- **OBSER. I.**
brat. Proponit hic nobis Spiritus sanctus summam in Deo consolationem, quam mentibus no-
stris fideliter infigamus, & in qua quibuscunq; tribulationibus affecti conuiuescamus. Quòd om-
nium est potentissimus, exercituum Dominus, nec quēquam habet æqualem, terrorem quidem
parere potest, si separatim consideretur: consolationem uerò miserorum & afflictorum non ita,
nisi simul & fides ista quam hic Propheta celebrat, agnoscatur. Rursus, quid consolationis adfer-
ret animis afflictis, si fidelem quidem sciant esse Deum, potentem uerò ignorent? Si ad exem-
plum Manicheorum, qui duos deos constituebāt, bonum unum, malum alterum, diuina in duos
deos diuinitate, alterū haberemus potentē sine fide, alterum bonū ac fidelem sine potentia, quæ
spes rebus mortalium esse posset? Proinde omnium saluberrimo spiritus sancti consilio factum
est, ut unius & eiusdem ueri Dei non potentia modò, sed & fides, nec fides tantum, sed & poten-
tia, imò fides in potentia consideranda proponatur. Domine Deus exercituum, inquit, quis si-
cut tu potentissime Domine? fides tua in circuitu tuo. Debat dicere, Potentia tua in circuitu
tuo, si hanc unicè, & non magis fidem in illa celebrare uoluisset. Iam cum subiungit, Et fides tua
in circuitu tuo: quis non uidet, quid potissimum nobis in potentia Dei considerandū proponat?

Admonemur ergo hoc uersu, ut in omnibus stupendis diuinæ potentiae operibus & exemplis fidem Dei consideremus, nec dubitemus omnia illum ad salutem & commoditatem mortalium facere. Si enim fides eius in circuitu eius est, quid uspiam & unquam ab eo uel factum est, uel fieri potest, quod hanc non respiciat?

OBSER. II. *Tu dominaris superbiæ maris.* Horrendi sunt, superbi, sæui & insolescentis tempestuosi maris fluctus, nec quicquam in orbe est, quod minus alicuius uideatur agnoscere imperium. At quantum uis horrendi, superbi, sæui & insolescentes sint, creatori tamen suo subesse, dominiumque illius agnoscere coguntur. Quid ergo in rebus humanis adeo superbum, sæuum & insolens est, quid adeo potens & tyrannicum, quod imperio Dei resistere possit? Non est ullum, nec fuit unquam in orbe imperium, quod sæuiantis maris uim & superbiam æquare possit aut potuerit. Quid igitur dubitamus, Deum, cuius imperio maris quoque superbia acquiescere cogitur, etiam inanes illas mortalium bullas ac minas repressurum, idque ea fide qua in suos est propensissimus, modo illi firma fiducia adhæserimus? Si præsentis seculi statum, imò non statum, sed motum, fastum, crudelitatem ac sæuiciam cōsideres, quid aliud occurrit, quam horrenda quædam tempestuosi maris facies? Verum Dominum habemus in cœlis filium Dei, Christum Iesum, qui non solum præsentis istos, sed & quosuis futuros quantumuis feroces sæuiantis huius mundi motus ac fluctus uerbo suo reprimere potest: ac repressurus etiam est, etiamsi iam altissimum dormire uideatur. Sequamur igitur apostolorum exemplum, in clamemusque ueluti dormienti: Domine serua nos, perimus, donec expergefactus, & uentos & mare compescat.

Matth. 8.

OBSER. III. *Tu confregisti Aegyptum.* Obseruandum est hoc uersu spiritus sancti consiliū, quo populum Dei earum historiarum admonet, quibus olim Deus non solum potentiam suam contra impios sed & fidem erga populum suum stupendis planè modis declarauit. Erant ista miracula, percussæ Aegypti, & cæsarum tot gentium Cænaanitarum, isti populo omnium decatissima, & antiquissimæ narrationis, nihilominus tamen horum Israelitas spiritus sanctus creberrimè admonuit. Nequibant enim satis expendi. Non sit ergo molestum homini pio, si uetusta Dei miracula, quantumuis Christianis auribus decantata, crebrò audiat ab alijs, uel ipse legat, & alijs exponat.

2 Simul & hoc notandum est, quod potentiam Dei ac fidem exemplis hisce proponit, quibus cum redemptio populi Israelis ex Aegypto, tum inductio in terram promissam comprehenditur. Quod enim percussæ Aegypti meminit, quid aliud quam liberationem Israelis ex Aegypto: & quod inimicorum Dei dispersionem commemorat, quid aliud quam uictorias Israelis, quibus terram promissam occupauit, celebrat? Vtriusque hic populus, & liberationis ex Aegypto, & inductionis in terram promissam, magna ingratitudine plerumque oblitus est, ut non sit præter rationem, quod utriusque beneficii toties admonetur. Admoneamur & nos nostræ liberationis, qua confraçto satanæ regno, dispersisque inimicis, in regnum Christi asserti sumus.

OBSER. *In brachio uirtutis tue dispersisti inimicos tuos.* Duo sunt hic notanda: Vnum quod aduersarios Israelis uocat inimicos Dei. Gentes illæ Cænaanitæ duplici nomine inimici Dei erant: primum propter impietatem, deinde propterea quod Israeli resistebant. Hæc duo siquidem inimicos Dei constituunt, impietas scilicet, & si populo Dei resistatur. Cum ergo impij in Deum, & aduersarij populi Dei, sint inimici Dei, quid aliud expectandum illis est, quam ut dissipentur ac pereant? Alterum est, quod uictorias Israelitarum non armis illorum, sed brachio uirtutis Dei adscribit. Solenne hoc est in sacris scripturis, ut uictorias istas diuinæ potentiae deputent, quod non solum erga beneficia accepta gratus sit Dei populus: sed & fiduciam suam in posterum, non in brachium aliud quod carnis, sed potentiam ac fidem Dei sui collocare assuescat.

11 Tui sunt cœli, etiam tua est terra, orbis & plenitudo eius, tu fundasti ea.

12 Aquilonem & meridiem tu creasti, Thabor & Hermon in nomine tuo exultant.

13 Tibi brachium est cum potentia, firmas manum tuam, exaltas dexteram tuam.

14 Iusticia & æquitas habitaculum throni tui, bonitas & fides præcedunt faciem tuam.

LECTIO. *Firmas manum tuam cum potentia, exaltas dexteram tuam.* Ebr. est. חַיִּיךָ יְדִיךָ הִרְבֵּיתָ: Græcus reddidit, *legata uirtutibus uirtutis tuae, & uirtutibus uirtutis tuae*, id est, Firmetur manus tua, exalteretur dextera tua. Verum Chaldæus sic. *עֵינֵיךָ דִּילְךָ אֲרֵרְךָ*: id est, Quoniam tibi brachium cum fortitudine, roborabis manum tuam.

Verf. 14. *Iusticia & æquitas.* Græcus reddidit, *δικαιοσύνη καὶ κρίσις*: id est, Iusticia & iudicium. Sic plerumque reddi solet quod in Ebræo est, *צְדָקָה וּמִשְׁפָּט*. Verum hoc & multis alijs scripturæ locis conuenientius est, ut reddamus, Iusticiam & æquitatem.

Habitaculum throni tui. Ebr. *מִבְּרַחַן כְּסֵאךָ*. Græcus uertit, *πρεσβυτέρα τῶν δυνάμεων σου*: id est, Præparatio throni tui. Chald. uerò *מְרִירָה*, id est, Habitationem, reddidit.

EXPLANATIO. *Bonitas & fides.* Ebr. *חֶסֶד וּאֱמֻנָה*. Græcus suo more uertit, *ἀγάπη καὶ ἀληθεία*. Et Arabs Græcum sequutus, reddidit, Misericordia. Chald. *חֶסֶד*, id est, Bonitas.

Verf. 11. 12. *Tui sunt cœli.* Duobus hisce uersibus, 11. & 12. maiestatem Dei Propheta in eo celebrat, quod ipsius

A ipsius sunt omnia, cælum, terra, & quæcunq; in utrisque sunt. Poterat satis dixisse uideri, cum dixit, Etia tua est terra: uerum ut uniuersam terram, & omnia quæ in illa sunt, dominio eius subijciat, addit: Orbis & plenitudo eius. Deinde & quatuor orbis partes, aquilonem, meridiem, occidentem & orientem, nominatim ponit, ut totum orbem Dei esse canat. Per montem enim Thabor occidentem, & per Hermon orientem significat, eo quod ille occidentem, hic orientem uersus extendatur. Sic Chaldaeus paraphrastes reddidit: תבור דמערבא וחרמון דמזרח: id est, Thabor qui ab occidente, & Hermon qui ab oriente. Ad hæc, ut gloriam simul ac rationem dominij huius ponat, creationem cæli ac terræ inducit, dicens: Tu fundasti ea, aquilonem & meridiem tu creasti, Thabor & Hermon. (repete, Tu creasti.) Sic psalmo 23. eandem rationem reddit, dicens: Quoniam ipse super maria fundauit eam. De monte Thabor autem Iosephus alicubi scribit ad hunc modum: יסעים וישלח ויעהק בשם אספסיגוס אל הר תבור הוא הר חשלה והר תבור וישלח את ההר ואת העיר אש ממעל לו גבתו שלשית ריס וראש ההר חילך בישר עשרים ושלשה אספסיגוס את שר צבא פלגריס וילכוד.

Illud in nomine tuo exultant, Ebraismus est, pro eo quod est, Nomen tuum laudant. Sic alibi legimus, Bibite in uino meo: id est, bibite uinum meum. Referenda est autem hæc particula non solum ad Thabor & Hermon montes illos, notos in scripturis: sed simul ad ea quocunq; quæ præmissa sunt, cælum uidelicet, terram, orbem ac plenitudinem eius, aquilonem & meridiem, non minus quam ad occidentem & orientem: ut intelligamus, omnia hæc nomen Dei, à quo sunt condita, tanquam creatoris sui, laudare & extollere, sicut psalmo 19. cæli gloriam Dei enarrare dicuntur.

Tibi brachium est cum potentia. Iterum Deum laudat ab illius potentia, quam magnificè ac multis modis declarauit, ac perpetuo declarat. Non simpliciter dicit, Potens es ac robustus: sed brachij manus ac dextræ meminit, ut ad opera se potentiae Dei respicere significet. Sicut enim gigantis robur brachio ac dextera declaratur, ita & Dei potentia in ipsius operibus exprimitur ac manifestatur. Manum firmare ac dexteram exaltare, est fortia ac sublimia opera perficere: quibus quantitas sit, & quam excellens Dei potentia, conspicuum reddatur.

Iusticia & æquitas. Hoc uersu uniuersam illam *ἐκείνην τὴν ἀρετὴν* Dei, qua cuncta, quæ in cælis sunt & in terra, dispensat, quam distinctione throni significat, ob id extollit, quod tamen illius sint omnia, cælum, terra, & quæcunq; in illis sunt, ipse etiam cuncta condiderit, deinde infinita præditus sit potentia, omnia tamen non pro suo iure, dominatu & potentia, sed pro sua iusticia, æquitate, bonitate ac fide moderetur: ita ut thronus eius, uelut habitationem suam in iusticia & æquitate collocasse, & bonitas ac fides in omnibus quæ facit, primas habere ac præcedere sentiantur. Est autem iusticia hic probitas illa, quam nos Germanicè *frumbkeyt* uocamus: de qua uocula alibi plura diximus. Æquitas uerò est quædam animi placiditas, qua non solum nihil iniqui committitur, sed & quid cuique commodo sit magis, quam quid exacta rerum discussio exigat, expenditur: quam uirtutem Græci *ἐπιείκεια* uocant. De bonitate ac fide supra diximus.

Tui sunt cæli. Notandum est duobus hisce uersibus, 11. & 12. quorum admonendi sumus, quoties cælum ac terram, & quæcunq; in illis sunt, contuemur. Primum admonendi sumus, cælum, terram, & omnem illius plenitudinem esse Domini. Agnoscamus ergo Dominum non angelorum modo, sed & nostrum, cuius sumus & nos & quæ possidemus omnia. De cælo forsan nemo confiteri grauabitur, quod Domini sit: de terra uerò, & quæ in illa sunt, non ita multi sunt, qui hoc libere & ex animo confiteantur. Sunt enim permulti, qui non Deo, sed sibiipsis eorum quæ possident, dominium liberrimum uendicant. At Propheta non hoc tantum dicit, quod cæli sint Domini: sed de terra quoque nominatim ac notanter dicit, Etiam terra tua est, orbis ac plenitudo eius. Cur ergo nobis uendicamus quæ Domini sunt? Obijciunt illud psal. 116. Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum: quasi resignato terræ dominio, Deus liberam nobis in omnia potestatem dederit, sibi quæ solum cælestia retinuerit: nec referat, quomodo in hac terra quam ille dedit, uiuamus, rebusque terrenis utamur. Non dicit Propheta, Terra est filiorum hominum: sed, Terram dedit filiis hominum. Testatur hoc scriptura Geneseos 1. Agnoscamus igitur Dominum terræ, quam illius gratia inhabitamus, deinde cogitemus, ad quid eam dederit. Ad habitandum eam dedit, idque præfixis terminis ac temporibus, ad hoc, ut se quæramus. sicut Apostolus hanc causam exponit Act. 17. & Propheta iste supra psal. 14. docet, cum dicit: Dominus de cælo despicit super filios hominum, ut uideat num sit intelligens & requirens Deum. Nihil ergo ad impiorum hominum propositum facit locus citatus, imò impietatem eorum magis redarguit. si enim terram hanc à Domino acceperunt, quare illum non agnoscunt ac colunt? Sit hæc particula solatio quoque illis qui in captiuitatem Turcicam abducuntur, & è solo paterno eijciuntur. Vbi ubi uiuere datur, in terra sumus, non alicuius inimici, sed Dei nostri. Non solum occidentem Deo tribuit Propheta, sed & orientem: non solum septentrionem, sed & meridiem. ubicunq; terrarum agimus, sciamus totum orbem esse Domini. Deinde non culpemus regnorum mutationes, quæ non sine diuina prouidentia & iusticia contingunt. Si hæc nostra Germaniæ in potestatem Turcorum uenerit, sciat homo Christianus, fieri hoc Domini dispensatione, cuius est orbis & plenitudo eius, in cuius potestate est tradere regna quibus uoluerit, ac rursus adimere.

Secundo loco, creationis etiam admonendi sumus, ut quoties cælum ac terram inspicimus, de creatore Deo cogitemus. est enim creationis gloria solius ac ueri Dei. Quapropter sacra scri-

ptura, ubi falsorum deorum cultum rejicit, ac uerum & unū Deum prædicat, creationis gloriam inducit, quæ non illis, sed huic competat, ut omnipotenti illi ac ueram diuinitatem soli tribuat. Sic in symbolo fidei dicimus: Credo in unum Deum, patrem omnipotentem, creatorem celi ac terræ. Expendamus autem hanc creationis uirtutem, non modò in ijs quæ sunt extra nos, sed & in nobis ipsis. nam & ipsi creatura Dei sumus. Si magnus es, agnosce creatorem tuum, siquid illi subiectus & gratus. Si abiectus, cogita sic esse illi uisum qui te creauit, ac contentus esto. nec dicat lutum figulo, Quare me fecisti sic? Accidit aliquid incommodi uel menti, uel corpori, habes quem inuoces, creatorem tuum, qui solus operi suo quod condidit, succurrere potest. Ego, inquit, feci, ego feram, ego portabo & saluabo. Esa. 46. Vitiata est peccato humana nostra natura.

Rom. 9. Quis igitur hanc repurgare potest alius, quàm qui condidit? Quis potest, inquit Iob, facere mundum de immundo conceptum semine? nisi tu qui solus es? Verum quis recenscat, quantæ sit doctrinæ articulus hic creationis?

Expendamus etiam mirabilem illam sapientiam Dei, quam Propheta notat, cum dicit: Tu fundasti ea. Mirabilis & inscrutabilis est ista orbis, & quæ in eo sunt, fundatio. Vnde & ad Iobum Iob. 38. Deus mox initio alloquij sui dixit, Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? annuncia, si quidem intelligentiam huius nosti. Quis ponebat mensuras eius, si scias: uel quis extendit super eam funiculum? Super quid fundamenta eius immersa sunt? uel quis iecit lapidem anguli eius? Et Pro. 8. sapientia Dei dicit: Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta disponens. Nobis igitur, qui Christiani sumus, non competit, ut de fundamentis terræ, more philosophorum, aliquid nobis scientiæ polliceamur: sed hoc conuenit, ut sciamus & confiteamur, à Deo nostro fundatam esse terram, fundationemque illius tanquam omnium sapientissimam & inscrutabilem adoremus ac glorificemus.

3 Tertiò, obseruandum etiam est, quomodo cælum, terram, & quæ in illis sunt, nomen Dei, tanquam creatoris sui, laudent ac deprecantur. Confundamur in animis nostris, quoties scriptura rebus inanimatis hoc tribuit, quod nomen Dei, à quo sunt conditæ, hoc ipso prædicant & extollunt, quod ab eo sunt conditæ: cum nos illud uituperemus potius, quàm laudemus.

OBSER. II. *Tibi brachium est cum potentia*) Sit hoc afflictis summo solatio, quod Deo in scripturis tribuitur brachium, manus ac dextera, idque cum potentia, robore & exaltatione. Videtur quidem nec brachium habere, nec dexteram, quoties suos affligi sinit: uerum ubi tempus auxilij uenerit, repleta declarat, quod brachium potens, ac dexteram firmam & excelsam habeat. Videbatur non habere brachium, quamdiu in Aegypto premebatur populus eius: uerum ubi tempus aderat liberationis, abundè satis ostendit habere se brachium potentissimum, ac dexteram excelsissimam. Terrent nos potentes huius seculi, qui in sublimitate sunt constituti, ideoque uelut ex alto in miseros detonant ac fulminant. At brachium Deo est tam robustum, ut potentes conterat: tamque excelsum, ut sublimes de sedibus suis deturbet.

OBSER. III. *Iusticia & æquitas*) Norandum hic est quàm iterum conuenienter Propheta post celebrationem dominij, creationis ac potentiæ Dei, iusticiæ, æquitatis, bonitatis ac fidei illius laudem subiiciat: nec simpliciter Deum iustum, æquum, bonum ac fidelem esse, sed thronum, id est, regnum ac gubernationem eius ueluti sedem suam in iusticia, æquitate, bonitate ac fide collocasse: nec quicquam agi ab eo dicat, in quo non bonitas ac fides faciem eius præcedat. Admonet nos his uerbis Propheta, ut in moderatione Dei obseruemus, quomodo, Dominus cum sit, creator ac potens in omnibus, cuncta iuste, æquè, bene ac fideliter dispenset. Regnum eius sedem suam non in tyrannide, sed iusticia, æquitate, bonitate ac fide fixam habet. Quod si de iusticia illa, qua cuncta recto iudicio diuinitus gubernantur, boni defenduntur, & mali puniuntur, Prophetam hic intellexerimus, seruiat is sensus afflictis, & per iniuriam oppressis. ut non dubitent causas suas Domino committere, cuius sedes iusticia & iudicio obfirmata, omnia in iudicium uocabit, tandemque reprobos cunctos pessundabit, & insontes tuebitur.

15 Beatus populus, scientium clangorem Domine in lumine uultus tui ambulat.

16 In nomine tuo exultant tota die, & in iusticia tua exaltantur.

17 Quoniam gloria fortitudinis eorum tu es, & in beneuolentia tua exaltabitur cornu nostrum.

18 Quia Domini est scutum nostrum, & sancti Israelis rex noster.

LECTIO *Beatus populus scientium clangorem*. Ebr. אשרי חכם ירעי תריעה. Græcus sic: μακάριος ὁ νοῦν ἔχων ἀκροαγὰς: id est, Beatus populus qui scit iubilationem. Arabs, Qui scit laudem tuam.

Vers. 17. *Et in beneuolentia tua exaltabitur cornu nostrum*. Ebr. יברצור תרים קרננו. Arabs, Et in nomine tuo exaltabitur caput nostrum.

Vers. 18. *Quia Domini est scutum nostrum*. Ebr. בי ליתורו קרננו. Græcus sic, ὅτι τὸ λυγρὸν αὐτοῦ σκῆμα: id est, Quia Domini est auxilium. Quod uetus Latina malè reddidit: Quia Domini est assumptio nostra. Licet enim αὐτοῦ σκῆμα aliquando assumptionem significet, hic tamén omnino pro auxilio positum est. Sicut & Arabs uertit, Et tu Domine auxilium nostrum.

Et sancti Israelis rex noster.) Ebr. *יְהוָה אֱלֹהֵינוּ מֶלֶךְ יִשְׂרָאֵל*. Græcus sic, *ὁ θεὸς ἡμῶν ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραὴλ*.
 est. Et sancti Israel regis nostri. Arabs, Sanctus Israel ipse rex noster.

Celebrat his quatuor uersibus Propheta felicitatem populi Dei, ad hoc, ut laudem Dei quam instituit, excellentiorem reddat. Beatus populus, inquit: id est, Quam bene est populo illi? Quam est populus ille felix? Deinde, quem populum intelligat, subiicit, dicens: Scientium clangorem. De clangore & usu tubarum legimus Num. 10. Conuocabatur per hunc, iussu Dei, populus ad tabernaculum fœderis, mouebantur castra ad sonitum tubarum, in bello clangebant tubis ad excitandos populi animos, in diebus festis ad oblationes solennes adhibebatur clangor tubarum. Referebat hic clangor maiestatem regiam, præsentis scilicet Dei. Sumitur itaq; clangor ille pro nota ac significatione diuinæ, ueluti regię, maiestatis ac præsentię in medio populi sui constitutę. Sic Num. 23. Bileam dicebat: Non est idolum in Iacob, nec simulachrum in Israel: Dominus Deus eius cum eo est, & clangor regis in eo. quem locum & Kimhi Ebr. hic citat. Dicit itaq; Propheta: Beatus populus intelligentium clangorem, id est maiestatem ac præsentiam Dei sui. Intelligebant clangorem Dei, qui scientia Dei in populo præditi, sonitū tubarū in diebus festis ac motibus bellicis nō externis tantū, sed & mētis aurib. percipiebāt, perq; hūc de maiestate præsentis Dei admonebātur. Loquitur omnino Propheta humano more, tanquam de populo, qui propter regis sui præsentiam clangori tubarū assuetus sit, & hoc nomine beatus ac celebris haberi queat.

Domine, in lumine uultus tui ambulat.) Recenset ea quorum gratia populum Dei intelligentem clangoris, felicem esse iudicet. Domine, inquit, in lumine uultus tui ambulat. hoc est, Feliciter ac securē uiuunt in gratia præsentię tuę. Lumen uultus, est hilaritas illa animi beneuoli, quę in facie læta declaratur. Intelligit itaq; metaphorica hac loquutione per lumē uultus Dei, præsentis Dei gratiam ac iucunditatem. De hac loquutione uide suprā psalmo 4.

In nomine tuo exultant tota die.) Tribuit illis hoc uersu gaudium plenum, exuberans & perenne. Exultant, inquit, non simpliciter gaudent. Exultatio est gaudentis animi exuberantia. Addit: Tota die, id est, iugiter ac sine intermissione. Per nomen Dei intelligit uel fiduciam in nomen Dei, uel laudem ac celebritatem Dei. Deinde tribuit illis etiam exaltationem, cum subiicit: Et in iusticia tua exaltantur. Per iusticiam Dei intelligit probitatem ac bonitatem Dei, sicuti suprā meminimus. Per hanc exaltatur populus Dei, dum protegitur contra hostes, ac superior ubiq; redditur.

Quoniam gloria fortitudinis eorum tu es.) Duobus istis uersibus, 17. & 18. exaltationem hanc populi Dei, id est, robur, uictoriam, protectionem, &c. amplificat. Dixit, In iusticia tua exaltantur, quasi dicat: Non sua uirtute, sed tua bonitate ac probitate superiores euadunt. Iam eam particulam uel exponit, dicens: Quoniam tu es gloria fortitudinis eorum. id est, Quoniam fortitudinē eam qua superiores euadunt, non suę uirtuti, sed probitati tuę debent, ad te gloria fortitudinis huius pertinet, non ad ipsos.

Et in beneuolentia tua cornu nostrum exaltatur.) Per cornu, robur ac fortitudinem ad defensionē contra hostes intelligit. Sumpta est hæc uox ab animantibus cornutis, quorum robur ac defensio in cornibus est. In beneuolentia tua, inquit, id est, si quādo nobis faueris ac beneuolueris, cornu nostrum exaltatur, fortes sumus & erigimur. Si non faueris, deprimimur.

Quia Domini est scutum nostrum.) Protectionem per scutum quoque significari, notius est, quam ut admonendum sit. Intelligit de protectione contra hostes, cuius munus & administratio ad regem pertinebat, quem Deus populo suo præfecerat. Adimit hanc regi, ac Deo tribuit: imō ipsum quoque regem illi adscribit, cum subdit: Et sancti Israelis rex noster. Sanctum Israelis Deum uocat, id est, Israeli sanctē & unicē colendum ac adorandum. Nihil igitur eorum quę ad felicitatem faciūt, relinquit Propheta uel populo uel regi, sed omnia Deo adscribit: significatq; felicem quidem esse populum Dei, sed ita, ut uniuersa illius felicitas à iusticia & beneuolentia Dei pendeat.

Beatus populus.) Notandum hic est, quid Propheta interea dum Deum præconijs suis ac debita **OBSER. I.**
 agnitione celebrat, in mentem uenerit: hoc scilicet, quod beatus sit populus qui talem Deum habeat. sicut & infrā psal. 144. dicit, Beatus populus cuius Dominus Deus eius. Hic affectus non tam populi Dei felicitatem, quam gloriam ac maiestatem Dei extollit. Tale quid accidit & reginæ Saba, quę cum omnē Salomonis sapientiā, & domum quam ædificauerat, & cibos mensę eius, & habitacula seruorum, & ordines ministrantiū, uestesq; eorum, & pincernas & holocausta uidisset, obstupefacta dicebat: Beati uiri tui, & beati serui tui, qui hic stāt corā te semper, & audiunt sapientiam tuam, &c. Quibus uerbis certē gloriā Salomonis magis, quam seruorū ipsius felicitatē, quanquā & istā, deprædicauit. Ad hunc modum & Propheta hic celebratione diuinę maiestatis permotus, in istā exclamationē prorupit, dicens: Beatus populus, &c. Non potest talis animus non excitari ad pietatis studium, quo se Deo commendat, cuius fideles beatos esse considerat.

Scientium clangorem.) Secundo loco notemus hic, quæ Deo tribuat Propheta, quorū gratia populum eius beatum prædicat. Primum dat illi clangorem: hoc est, sicut in explanatione dixi, regiam maiestatem, in medio populi sui præsentem. Clangor ille tubarum, cuius usus erat in ueteri Testamento, typus erat maiestatis huius, cuius maior expressio toti orbi est per Euangelicę predicationis tubam exhibita, cuius sonitus uniuersum hunc mundum penetravit. Hoc clāgore Dominus præsentiam suam declarat, sicuti pollicitus est Apostolus, cum hunc illis Euangelicę predicationis clangorem cōmendaret, dicens: Ecce ego uobiscū sum usq; ad consummationē seculi.

2 Deinde, dat illi uultum erga suos hilarem, ac beneuolentiæ indicem, id est, gratiam spiritus sui, qua mentes suorum præsens exhilaret. In lumine, inquit, uultus tui. Lumen hoc uultus Dei ignorant impij.

3 Tertiò, dat illi nomen tale, quod fidelibus perpetuam generet exultationem. In nomine tuo, inquit exultant tota die. Nomen tyranni tristitiam generat subditis, non lætitiā.

4 Quartò, adscribit illi iustitiam & beneuolentiā, qua populum suum exaltet, corroboret, & ueluti scuto quodam defendat, ac uictorem reddat. Describit ergo his uerbis Propheta Deum populo suo, ueluti regem, maiestate sua præsentem, hilarem, laude ac nomine celebrem, iustum ac beneuolum, populiq; sui exaltatorem, corroboratorem & protectorem. Abeant ergo in malam crucem, qui ita de Deo docent, ut hunc fidelium mentibus quasi sedentem in cælo sublimem, humanarum rerum contemptorem perpetuò seuerum, & talem esse persuadeant, in cuius nomine tristandum ac tremendū magis sit tota die, quàm exultandum. Talis cogitetur ab impijs & impenitentibus: fidelibus uerò non alius, quàm qualis hic à Propheta ob oculos exponitur.

OBSER. III. Tertiò, expendamus etiam ea quæ populo felici tribuit. Primum dicit eum scire & intelligere clangorem Dei. Scientium, inquit, clangorem. Non dicit, Audientium clangorem. Scientia & intelligentia diuinæ maiestatis in populo Dei præsentis requiritur. Ea uerò fidelium tantum est. reliqua turba ab externis tantum, ac uisibilibus pender, nec inuisibilibus aliquouſque mouetur. Ista intelligentia ad felicitatem pertinet uerè fidelium. Quid enim illis beatius accidere potest, quàm quòd reuera sciunt & intelligunt diuinam in medio populi sui præsentiam? Sciūt & hi, qui in aulis principum & episcoporum sunt, clangorem tubarum: uerum nemo sensatus eos hoc nomine beatos pronunciauerit. Deinde dicit eos ambulare in lumine uultus Dei, hoc est, uiuere & uersari in fide ac sensu gratiæ Dei, non absentis, sed suis ubique præsentis. Qui increduli sunt & impij, illi certè non in lumine, sed potius in tenebris sunt: nec ambulant, sed errant & impingunt. Tamen si autem in lumine mundi huius omniū prosperrimi ambulare uidentur, reueratamen in medijs tenebris & erroribus uoluntantur. Nec mirum est, quòd hoc genus hominum in rebus Dei & Christianæ religionis cæcutit, cum lumine uultus Dei destituatur. Tertiò, tribuit illis exultationem perennem, id est, iuge ac plenum gaudium, id quæ in nomine Dei sui. In nomine tuo, inquit, exultant. Exultant & filij huius seculi, sed in rebus caducis ac uanis, ideòq; & inaniter & ad momentum. Fideles uerò, licet iuxta carnem in hoc seculo temporariè luceant, spiritum tamen in nomine Dei sui exultant iugiter. Gaudium enim hoc nemo mentibus eorum auferet, quòd radices suas non in perituris rebus, sed in nomine Dei fixit. Quartò, dicit eos exaltari, id est, superiores ac uictores reddi. In ueteri Testamento externis ac uisibilibus exemplis exaltatio ista populo Dei contigit, quoties uisibilium hostium uictor euasit: at in Nouo exaltatio hæc spiritualis magis est quàm corporalis. Nam ita nobis Christus futurum prædixit, ut in mundo pressuram passuri simus. Certè qui in mundo premitur, carnalibus oculis non exaltari, (nisi forsitan ad exemplum Christi, crucis suspendio) sed deprimi magis & humiliari uidetur. Opus est ergo fidei oculis, quibus solis hæc fidelium exaltatio cernitur, qua uidelicet & inferorum & mundi huius uictores euadunt spiritu, quicquid interim carne patiantur. Quintò, adscribit illis etiā fortitudinem ac cornu. Non quidem, quòd per se ipsos fortes sint ac robusti, sed in Domino, ut tamen fortes ac robusti. Quid enim interest, unde robustus sit quisquam, modò sit robustus? Robore opus est ad uincendum satanam, peccatum, mundum & carnem. Est enim pugna hæc omnium grauissima. At robore hoc non destituuntur, qui à Deo corroborantur. Robur hoc fides est inuicta, qua uincuntur omnia. Magna est fortitudinis huius gloria: uerum illa non nostra, sed Dei est, à quo uno corroboramur, & uirtute induimur ex alto. Paulus dicebat, Omnia possum: sed addebat, Per eum qui me confortat. Nos sumus infirmi, & in nostra infirmitate uirtus Dei declaratur, ut gloria sit non nostra, sed Dei. Sextò, non solum dicit eos esse fortes, sed & scutum ac regem eis tribuit. Quantumuis enim per Deum fortes reddantur fideles, rege tamen ductore ac protectore opus habent. Rex hic Christus est, unctus sancti Israelis, cuius protectione in omnibus defenditur.

Quis itaq; populum hunc non dicet esse beatū, modò intelligat ea quæ hic illi à Propheta dantur, clangorem uidelicet præsentis Dei, lumen uultus eius, iugem cordis exultationem, exaltationem supra hostium impugnationes, robur ac fortitudinem, regem ubiq; ductorem ac protectorem. Orandus est Deus, ut hanc fidelium felicitatem uera & indubitata fide non intelligamus solum, sed & uiua sensu in nobis experiamur.

QUARTA PARS PSALMI.

19 Tunc loquutus es in uisione sanctis tuis, & dixisti: Posui adiutorium super potentem, exaltaui electum de populo.

20 Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo unxi eum.

LECTIO. Sanctis tuis.) Ebr. est *קדושים*. Quod si reiectis punctis legas, singulariter est, Sancto tuo: uel, si ita dicere liceret, Beneficiato tuo. Et sic D. Kimhi legit, exponens ad hunc modum, *הבית* *העליון*, id est: Et is est Shmuel propheta. Arabs quoq; legit, Prophetæ tuo. Græcus pro sua libertate legit, *υιου σου*: id est, Filijs tuis.

A Post *dispositum* Propheta ad oraculum Dei de Dauide factū, quarta hac psalmi parte redit, quod supra uers. 3. & 4. breuibus attigit, atq; id hoc loco copiosius exponit, aduersum usque 38. Singula illius suis locis uidebimus.

Tunc loquutus es.) Priusquam ipsum oraculum adferat, particulam hanc præmittit, non ut Deū promissi sui, uelut immemorem, quod planè esset impium: sed ut populum Dei, in cuius gratiam psalmum hunc composuit, oraculi huius admoneat. Quod uerò non dicit, Tunc loquutus est Deus: sed per apostrophē ad Deum ipsum loquitur, dicens, Tunc loquutus es in uisione sanctis tuis, & dixisti: emphasim habet animi causam hanc ardentem, ac uiuo quodam illius sensu tractantis. Tunc loquutus es, inquit. Nota temporis articulos, quibus Dauid diuino est oraculo cū in regem per Samuelem electus, tum in regno per Nathan confirmatus. Quasi dicat: Tunc cum misertus esses populi tui, uellesq; illi regem dare, non in ira, sed in gratia ac beneuolentia, regnumq; illius confirmare, ad hunc modum loquutus es. Est autem Propheta non modici momenti res, loquutum esse Deum, sed omnino maximi, ut qui sciat impossibile esse mē tiri Deum, nec stare promissis.

Addit, *in uisione sanctis tuis.*) Per sanctos Dei intelligit prophetas, Samuelem & Nathan. De Samuele uide 1. Samuelis decimosexto, de Nathan 2. Sam. 7. Loquutus est illis Deus in uisione, nō corporali, sed spiritali, quæ uelut in ænigmate figuris quibusdam mentibus dormientium diuinitus exhibebatur. Sic enim fuerat Deus pollicitus Num. 12. ubi ad hunc modum legitur, Audite sermones meos: Si quis fuerit inter uos propheta Domini, in uisione apparebo ei, per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquor ei: palam, & non per ænigmata & figuras Deum uidet. Et ob hanc causam dicti sunt prophetae uidentes. Sic legis 1. Sam. 9. Olim in Israel sic loquebatur unusquisq; uadens consulere Deum: Venite, eamus ad uidentem. Qui enim propheta dicitur hodie, uocabatur olim Videns. Quid autem loquutus est Deus?

Posui, inquit, adiutorium super potentem.) Mox initio oraculi sui Deus mentem suam aperit, ad quid populo suo regem elegerit: ad hoc uidelicet, ut esset illi adiutorium. Poterat dicere, Posui regem potentem, si simpliciter regem dare uoluisset: uerum quia talem elegerat, qui populo suo adiutorij loco esset, Posui adiutorium, inquit. Super quem? Super potentem. Ebr. est *על גבור*, quod idem est ac si dicas, Super gigantem. At talis non erat Dauid, præsertim cum esset adhuc puer, & exiguae staturæ. Non igitur intelligendum est eum natura & corpore, sed spiritu Domini talem esse factum.

B *Exaltaui electum.*) Primū elegit, deinde electum exaltauit. Exaltatio est, in regnū inauguratio.

De populo meo.) Sic enim ipse præceperat Deut. 17. Cum ingressus fueris, inquit, terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitauerisque in illa, & dixeris, Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues, quem Dominus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus.

Inueni Dauid seruum meum.) Explicat ea quæ uersu præcedenti obscurius dixerat. Primū quis sit ille potens, in quem adiutorium populi sui posuerit. Dauid uidelicet seruus eius. Deinde, quomodo hunc de populo exaltauerit. Oleo, inquit, sancto meo unxi eum, Hoc est: Regem constitui eum, exaltaui eum in regiam maiestatem: qua de re uide 1. Sam. 16. Loquitur autem humano more, quod hunc inuenisse se dicit, quasi talem in eo populo diu desiderauerit ac quæsierit, tandemq; Dauidem hunc inuenisse, filium Iesse, qui secundum cor ipsius esset, quem sciret sibi per omnia obsequuturum, fidelemq; seruum futurum. Habent igitur hi duo uersus principium oraculi Dei, in quo ista continentur. Primū, quod constituerit Deus regem singulariter electū, & futurum populo suo adiutorem. Deinde, quis ille fuerit, Dauid uidelicet seruus eius, uir talis, qualem in populo suo non inueniret ad id usque temporis.

Tunc loquutus es.) Sunt hic duo notanda: primū in Deo, alterum in Propheta. In Deo expendendum est, quare non solum dare populo suo regem ac regnum illius tanta gratia prosequi & confirmare, sed hac de re etiam prophetis in uisione loqui uoluerit. Poterat certè omnia hæc, etiam sine adiecto oraculo, uoluntatisq; suæ declaratione perficere. Verū nō solum benefacere constituerat, sed & hoc à populo suo sciri uolebat. In Propheta notandum est, quo proposito Deum sanctis suis prophetis de hoc rege in uisione loquutum esse dicat. Poterat ipsa beneficia Israel per hunc Dauidem exhibita commemorare, uerū ut proposito Dei seruiret, oraculū illius adducit, Deumq; loquutum esse dicit, ut non solum beneficiorum sensum, sed & Dei largitoris mentem oraculi illius expressam, firma & indubitata fide caperent. Maior Israelis portio, beneficijs quidem Dei in regno Dauidis potiebantur, ac sensu illorum afficiebantur: gratiam uerò benefactoris, ac mentem erga populum suum haudquaquam intelligebant: quales hodie plurimos habet Ecclesia. Sic contrariō, non solum erat illorum peccata, uirga disciplinæ castigaturus: sed hoc etiam sicut infra audiemus, facturū se comminatus est. Non enim satis est ad resipiscentiā & emendationem uitæ, si malorum sensu premamur: sed opus est, ut sciamus illa esse uirgam Dei peccata nostra castigantem. Huc facit præmissa comminatio. Querimur hodie passim de præsentis seculi malicia. Quotus autē quisq; est qui cogitet illā diuinitus esse in uerbo Dei prædictā?

Studen-

EXPLA-
NATIO.

Vers. 19.

OBSER. I.

Studendum itaq; est oraculis Dei, siue quibus beneficentia, siue quibus uirga & castigatio prædi-
cta est, ne simus instar brutorum, qui sensu tantum uel bonorum uel malorum afficiamur, manum
uerò & consilium Dei non obseruamus.

OBSER. II. *In uisione sanctis tuis.*) Obseruandum hic est, quòd diuinas reuelationes mentibus sanctorum in
somnia inditas, non somnia, sed uisiones: & prophetas non somniores, sed uidentes Scriptura
uocat. Mundus uisionis huius certitudinē nunquam intellexit, sed perpetuò somniorum loco ha-
Gen. 37. buit. Sic Ioseph à fratribus suis somniator uocabatur. Verum tandem experti sunt, qualem som-
niatorem irriserint & uendiderint.

Cauendum tamen semper fuit, & hodie quoq; est, ne quæuis somnia pro uisione Dei recipian-
tur. Satan, ut simiam Dei agit, ita etiam suis sanctis uisiones in somnijs obijcere solet. Hinc in pro-
phetis quædam contra somnia pseudoprophetarum leguntur. ut Hieremiæ uigesimo tertio: Au-
diui quæ dixerunt, prophetae prophetantes in nomine meo mendacium, atq; dicentes: Somnia-
ui, somniaui. Usquequò istud est in corde prophetarum uaticinantium mendacium, & prophe-
tantium seductiones cordis sui? Qui uolunt facere, ut obliuiscatur populus meus nominis mei
propter somnia eorum, quæ narrat unusquisque ad proximum suum, sicut obliti sunt patres eo-
rum nominis mei propter Baal, Propheta qui habet somnium, narret somnium: & qui habet ser-
monem meum, loquatur sermonem meum uerè. Quid paleis ad triticum? dicit Dominus. Cau-
tio autem hac in re, non in eo tantum est, si somniator mentitus esse deprehendatur: (sunt enim
aliquot somniores, qui somnia de talibus rebus proferant, quarum nullum potest ad nos expe-
rimentum perferri: utpote qui inter nos Christianos de purgatorio igne, & animabus in illo de-
tentis, deq; indulgentiarum & missarū uirtute somnia proposuerunt Ecclesiæ: de quibus adhuc
plurima scripta prostant, qualibus etiam dialogi Gregorij abundant:) sed & in eo, si somniator ad
cultum alienum abducatur: etiam si, quæ per somnia uidisse se dicit, ipso opere adimpleantur, qua
de re apertus locus est Deut. 13. Si surrexerit, inquit, in medio tui propheta, aut qui somnium ui-
disse se dicat, & prædixerit signū atq; portentū, & euenerit quod loquutus est, & dixerit tibi, Ea-
mus & sequamur deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis: non audias uerba prophetae illius
aut somniatoris, quia tentat uos Dominus Deus uester, ut palam fiat utrum diligatis eum, an nō,
in toto corde uestro, & in tota anima uestra, &c. Quapropter cauenda sunt omnia illa somnia &
uisiones quæ uel falsi possunt argui, uel ad alienos cultus alliciunt.

OBSER. III. *Posui adiutorium.*) Notandum est, quòd non dicit, Ego sum adiutorium: sed, Posui adiutorium.
Tamen si Deus unus ac solus sit suorum auxiliator, protector & defensor: gratiā tamen & uirtutē
auxilij, protectionis & defensionis suæ populo suo per organum aliquod, ad hoc electum, impen-
dere solet: sicut patet in Mose, Iehosua, Iudicibus, Samuele, Dauide, &c. Quoties ergo talem re-
gem ac principem dat, qualis Dauid fuit, reipsa nihil aliud facit quàm quòd adiutorium populo
suo ponit. Qui pij sunt in ecclesia Dei, huiusmodi adiutoria diuinitus posita, cum gratiarū actio-
ne agnoscunt: si desint, ut dentur, à Deo ex animo petunt.

OBSER. IIII. *Super potentem.*) Notemus hic, primū necessariam esse potentiam ei qui futurus sit populi Dei
rex & princeps. Adiutorium enim esse nequit, qui ipse infirmus est. Deme potentiam Deo, non
erit Deus, quantumuis bonus sit: deme principi, non erit adiutorium populi sui, etiam si sit alio-
qui optimus. Deinde potentiam hanc necessariam principi, qua sit גביר, gigas, & uir fortis esse
per spiritum Domini, qui ex modicæ staturæ puero potentem facit. Hinc toties legimus non de
Dauide tantum, sed & de reliquis talibus uiris, quòd inuaserit eos spiritus Domini. Cum hic Sau-
lem defereret, ex uiro forti infirmum reddidit.

OBSER. V. *Exaltaui.*) Etiam hoc ad מַשְׁכָּן principis pertinet, ut sit sublimis & exaltatus. Humilis est con-
Gen. 1. ditio subditorum, sublimis uerò regum ac principum. obtinent enim imaginem Dei. Sic Adam
factus est ad imaginem Dei, quando dominatum terræ accepit. Est quippe omnino diuinū quid-
dam, potestatem habere in alios. Ad hæc etiam potestate Dei funguntur in terris, & uices illius
obeunt. Merito igitur Paulus Rom. 13. & 1. Timoth. 2. sublimitatem magistratibus tribuit, quos &
ἐξουσίαν ἀντιπροσώπων uocat. Seruiat nobis ista sublimitas magistratuum ad hoc, ut diuinam in illis maiestatem
reuerentes, obediamus propter conscientiam. Magistratibus uerò ipsis tam abesse debet
ut hinc insolescant, ut maiore potius sollicitudine ruine periculum timeant. Quo nanq; sublimis
exaltati sunt, hoc periculosius cadere possunt, nisi timore Dei conseruentur.

OBSER. VI. *Electum de populo.*) Considerandum hic est, quàm sit peculiaris gratia, si diuino munere princeps
detur, qui non sit alienus à populo Dei, sed ex illo electus. Qui alienus est, tanquam in alienos do-
minatum exercet: qui uerò & sanguine & fide coniunctus est, ut in fratres potestatem accepisse
se nouit, ita & hanc non ut premat, sed ut prosit, attemperat. Quamquam diuersum hodie uide-
mus in principibus Christianis, quorum principatus alienorum potius dominatum, quàm fi-
de coniunctorum gubernationem imitatur. Cogitent hic liberæ ciuitates, quibus potestas per-
missa est eligendorum ex seipsis magistratuum, quàm debeant hac in re beneficium Domini a-
gnosceret, illoque ad gloriam illius uti. Et qui ad exemplum hoc Dauidis, non de regio stemmate,
sed de populo eliguntur, non obliuiscantur unde sumpti sint: sed ad radicem unde ascenderūt cre-
bro respiciant, ut humiliantur: nec populum, de quo sunt electi, contemnant. Talis est omnino &
perfectè principatus Christi, ad quē etiam oraculū hoc pertinet: Non enim electus est ex angelis,
cælestibus

A coelestibus illis potentatibus ac principatibus, sed de populo suo, caro ex carne eius, & os ex ossibus eius, ut frater in fratres impiorum obtineret.

Inueni Dauid seruum meum.) Notemus in hac anthropopatica loquutione, qua se Deus Dauidem seruum suum inuenisse dicit, quo loco apud eum sint iusti ac fideles, quorum ministerio populo suo benefacere constituit. Perinde illi chari sunt & accepti, ac si quis hominem diu desideratum & quaesitum, tandem inueniat. Tantum hic gaudij est in inueniendo talem, quantum desiderij in quaerendo & expectando. Non tam autem iustitiae illorum hoc deputandum esse censeo, quam dilectioni Dei, qua populo suo quam consultissimum esse cupit. Posset ex lapidibus quoque suscitare Dauides, ut non sit necesse illos quaerere & expectare donec inueniantur: uerum ita uisum est spiritui sancto, humano more nobiscum loqui, ut de dilectione ac pietate Dei admoneamur, quia non solum benefacit populo suo, sed & letatur, cum illi benefecerit: agnoscamusque quam illi hoc nomine accepti sunt iusti ac fideles uiri, quos populo suo praeficiat. 1. Sam. 16. dicit Deus ad Saulem de Dauide: Vade mittam te ad Isai Bethlehemitem, quoniam in filiis eius uidi mihi regem. Illic dicit se uidisse Dauidem: hic inquit, Inueni Dauid seruum meum.

Seruum meum.) Innuitur hac particula, qualem inuenierit Deus Dauidem, ut hunc inuenisse se gloriatur. Inueni, inquit, Dauidem seruum meum. Exponitur haec particula Actor. 13. ubi ad hunc modum recitatur ab Apostolo: Et amoto illo (Saul) suscitauit illis (nota, quibus Dauidem suscitauerit, nempe populo suo) Dauid regem, cui & testimonium perhibens, dixit: Inueni Dauid filium Iesse, uirum, secundum cor meum, qui faciet omnes uoluntates meas. Vide, quem hic Deus seruum suum, illic uirum secundum cor suum uocat, qui facturus sit omnes uoluntates ipsius. Hoc sensu & Christus ipse seruus Dei uocatus est. at Esaiæ 42. Ecce seruus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet. Non clamabit neque accipiet personam, &c. qui locus Christo adaptatur Matth. 12. Et Esai. 49. Parum est, inquit, ut sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae. quae uerba de Christo citat Apostolus Act. 13. Discant hi qui in magistratu, adeoque & ipsi serui Dei sunt, quid sit uerum ac genuinum esse seruum Dei, nempe esse secundum cor Dei, & facere omnes uoluntates Dei. Qui ad hunc modum comparati nec sunt, nec esse cupiunt, serui Dei non dici debent, nisi quatenus tyranni quoque, sicut Nebucadnezar Hier. 25. ac similes, serui Dei dicti sunt. Discamus in genere omnes, quae sit uera & sincera seruitus Dei, ea nempe quae sit secundum cor Dei, qua omnes uoluntates Dei faciamus. Reprobi sunt igitur omnes illi cultus, quibus mortalium non pietas, sed temeritas, non religio, sed superstitio Deo, uel secundum humanas traditiones, uel iuxta idolorum uenerunt, non secundum cor & omnes uoluntates illius, seruire conatur. Non dicit autem, Qui sciet omnes uoluntates meas: sed, Qui faciet omnes uoluntates meas. Non est satis scire, sed requiritur, ut & faciamus.

Sed oritur hic quaestio, quomodo de Dauide dici possit, quod fecerit omnes uoluntates Dei, cum & adulterium commiserit, & innocentem Viriam neci dederit: adhuc & populum Israelis numerari praeceperit, quae certe non erant diuinæ uoluntati conformia? & quomodo quis esse possit ita perfectus, ut faciat omnes uoluntates Dei? Respondeo: Omnem uoluntatem Dei facere, non est aliud quam obedientem esse & paratum ad faciendum omnem uoluntatem Dei: ut possis dicere, Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. item, Ut faciam uoluntatem tuam Deus meus. *אנין*: id est, Volo & delector, & lex tua in medio cordis mei. Talis erat Dauid, talesque sunt omnes pii, licet non perfecti. Nam perfectio huius obedientiae soli Christo tribuenda est. Licet itaque subinde peccent pii, & in hac obedientia deficiant, nihilominus tamen de illis scriptura ad hunc modum loquitur, ut dicat eos facere omnes uoluntates Dei, magis ad animi pietatem & obedientiae propositum, quam ad operis executionem respiciens. Sic & Germani dicunt: Gott nimpt den uillen fur die uerck.

Oleo sancto meo unxi eum.) Oleum, quo unctus est Dauid, natura & substantia terrenum, cornu quoque terreno comprehensum fuit: qui illum unxit, erat homo pius quidem, attamen homo, nempe Samuel. munus ad quod unctus est, erat magistratus secularis, regnum terrenum. Et tamen uidemus hic oleum illud uocari oleum sanctum, oleum Dei: & opus unctionis tribui non homini, sed Deo. Dicit enim Deus ipse, Oleo sancto meo unxi eum. Non dicit, Unxit eum Samuel oleo suo: sed, Ego unxi eum oleo sancto meo. Omnia hic Dei sunt, & sancta sunt. Samuel enim Dauidem non suo arbitrio, sed iussu Dei inunxit. Huius gratia inspicenda est historia.

Notandum itaque est, quid sentiendum sit de symbolicis & sacramentalibus cum elementis, tum ceremonijs. Oleum in se terrenum erat elementum, propter uerbum Dei tamen quod illi accessit, uocatur a Deo ipso oleum Dei, ac sanctum. Dei sunt omnia: uerum ista peculiariter Dei & sancta esse dicuntur, quae non solum creata sunt ab illo, sed & singulariter uerbo illius sanctificata. Deinde opus unctionis huius factum est manibus Samuelis, atque ita in oculis mundi opus hominis, non Dei: uerum in oculis fidei, quae secundum uerbum Dei iudicat, non est hominis opus, sed Dei. Discamus itaque secundum loquutionis huius normam, pie ac religiose sentire ac loqui de sacramentalibus elementis & actionibus. baptismatis scilicet ac coenae Domini. Sit nobis aqua baptismatis sancta ac Dei aqua: & ipse baptismus, non hominis, sed Dei opus. Et panis ac uinum in coena, sint sancta elementa,

OBSER.

VII.

Lucæ 15. Inueni

ouem quæ per-

dideram.

Hier. 32.

OBSER.

VIII.

Act. 13.

Q. V. AB-

STIO.

Psalm. 56.

Psalm. 39.

OBSER. IX.

Quare non argenteo aliquo uasculo.

Verbo Dei sancta

sanctificantur

omnia.

Cypr. in Serm.

de Coena Dom.

Panem Eucha-

ristiae uocat pa-

ne sanctificatū.

elementa, distributioq; illorum non hominis alicuius, sed ipsius Domini opus. Is enim est, qui ista nobis uerbo suo sanctificauit, & dispensationem illorum per ministros suos exequitur. Torquetur hanc particulam, Oleo sancto meo unxi eum, aliquis forsan sacrificulus ad commendationem sacerdotalis & Papisticae unctionis: uerum ostendat nobis uerbum Domini, per quod sit oleum ipsorum sanctificatum, &c. Deinde & hoc notandum est, quod oleum illud inaugurationis, quo Dauid non in sacerdotem, sed in regem, secularem uidelicet magistratum, inunctus est, sanctum uocatur. Si magistratus iste, res prophana est, quomodo conuenit ut in auguratio illius, uel si maius inaugurationis oleum, sanctitatis nomine ac dignitate honoretur? Quis igitur non intelligit, ex hac particula magistratum hunc, quem secularem uocant, in populo Dei non esse rem prophanam, sicut oculis carnis apparet, sed uerè sanctam? Quid enim rationis assignari poterit, propter quod potestas ista sit prophana, cum inauguration in illam sit diuino hoc oraculo sancta dicta? Non potest esse obsignatio sancta, si professio, in quam obsignatur quis, non sancta, sed prophana fuerit. Hoc tamen interim non negauerim, licet potestas hæc sancta sit, administrationem tamen illius à multis magistratibus prophanari.

21 Quoniam manus mea parata erit cum eo, etiam brachium meum corroborabit eum.

22 Non opprimit eum inimicus, & filius iniquitatis non adfliget eum.

23 Et conteram à facie eius tribulantes eum, & odio habentes eum percutiam.

LECTIO. Quoniam manus mea parata erit cum eo. Ebr. est *אשר ידיו עבדו עמי*, quod etiam sic legi potest. Cum quo manus mea parata erit cum eo. quæ lectio Ebraicum exprimit. Illud *אשר ידיו עבדו עמי* potest etiam reddi, Firma erit cum eo. *ברך* siquidem uerbum, aliquando parauit, quandoque firmavit significat. Græc. reddidit, *συναντῶνται αὐτῷ*, id est, auxiliabitur ei. Chald. uerò uertit *בסעריה*, id est, Parata sunt in adiutorium eius.

Vers. 22. Non opprimit eum inimicus. Particula hæc etiam in Ebræo bifariam legitur. Aliqui enim legunt *אשר לא* cum puncto iamin, à uerbo *אשא*, quod aliquando decipit, aliquando uastauit significat. Ideo quidam uertunt, Non imponet ei: quidam uerò, Non opprimit eum. Arabs habet, Non tribulabit eum. Nonnulli uerò legunt *אשר לא* cum puncto simol, à uerbo *אשא*, quod eleuare, ferre, sustinere, prosperari etiam significat. Vnde & Iustinianus Chaldeum sequutus reddidit, Non felicitabitur. Chald. enim habet *אשר לא יאשא*, id est, Non prosperabitur. Et Græc. *ὁὐ ἀφελύσσεται*, Non proficiet. Illud, Et filius iniquitatis, Ebr. est *בן עילה*. Chald. habet *בן רשע*, Et filius impietatis. Arabs, Et filius peccati.

EXPLANATIO. Duobus præcedentibus uersibus mox oraculi initio commemoratum est, primum, quod constituerit Deus populo suo auxilium, posueritq; illud super potentem, deinde quis nam ille fuerit, iam consequenter ponitur, quantis illum beneficijs prosequutus sit.

Vers. 21. Quoniam manus mea parata erit cum eo. Pollicetur illi opem & auxilium suum in omnibus. Hoc est quod 1. Sam. 18. Dominus cum eo fuisse scribitur. Et 2. Sam. 5. Et Dominus Deus exercituum, inquit, erat cum eo. Et 2. Sam. 8. Seruauit Dominus Dauid in omnibus ad quæcunque profectus est. Nihil est autem aliud quod dicit, Manus mea parata erit cum eo, quàm, Paratus ero ad iuuandum ac protegendum eum. 2. Sam. 3. nuntiabat Abner Dauidi, dicens: Fac mecum amicitias & erit manus mea tecum: id est, ero tibi auxilio. Et Dauid 2. Sam. 14. ad mulierem Thecuitam dicebat, Nunquid manus Ioab est tecum: id est, Nunquid consilio & ope Ioab uteris in hac causa? Subiungit, Etiam brachium meum corroborabit eum. Quasi minus quàm in animo fuerit, dixerit, amplificandi gratia particulam hanc adiicit, dicens: Etiam brachium meum corroborabit eum. Quasi dicat: Non tantum manus mea, sed totum brachium meum paratum illi erit, corroborabitq; eum. Sumitur autem brachij dictio pro potentia & robore, ad similitudinem gigantis, cuius brachium uidetur esse inuictum.

Vers. 22. Non opprimit eum inimicus. Intelligunt quidam hunc uersum de Saule, inimico Dauidis, ob id opor, quod singulariter de inimico & filio iniquitatis sit mentio. Mihi uerosimilius est, referendū esse ad uniuersos Dauidis inimicos. Neq; enim arbitror pro consuetudine scripturæ esse, quantum nunc occurrit, ut regem populi Dei filium iniquitatis uocet: sed non cōtendo. Pollicetur Dauidi suo Deus his uerbis protectionem contra inimicos. Filius iniquitatis non adfliget eum: id est filij iniquitatis non præualebunt illi. Sunt autem filij iniquitatis ita insigniter iniqui, ut uel ex ipsa iniquitate, uel ad illam nati uideantur.

Vers. 23. Et conteram à facie eius tribulantes eum. Non solum defensionem ac protectionem promittit, ne opprimatur & adfligatur ab inimicis, sed & contritionem & percussione illorum adiicit. Non simpliciter dicit, Conteram tribulantes eum: sed, A facie eius, inquit, conteram eos. id est, Non patiar, ut eum apprehendant, sed antequam pertingant ad eum, conteram illos. Non solum autem tribulantes eum conteram, sed & eos qui illum odio habent, percutiam.

OBSER. I. Quoniam manus mea parata erit cum eo. Arduum est, & uires humanas excedens, munus hoc administrandi regni, non solum inter planè impios, sed & in ipso populo Dei. Est enim planè diuinum quidam imperare reliquis, ac singulari sapientia, prudentia & potentia opus habet, ut non frustra dij uocati sint in scripturis, qui magistratu funguntur. Cum itaque Dauidem Deus ad regni functionem

functionem elegeret, illumq; muneri huic imparē futurum sciret, rectē auxiliij sui promissionem precedentibus subiecit. Notandum igitur hoc loco est, non modō eligere Deum seruos, sed illis etiam auxilio suo in omnibus adesse. Id pollicitus est ac præstitit Moysi, Iehosue, &c. prophetis, apostolis etiam. De hoc diuino auxilio ista notanda sunt in præsentia.

Quod Deus ipse adesse uelit. Non dicit, Manus angeli mei erit cum eo: sed, Manus mea erit cum eo. Expendat pius animus quantæ sit uirtutis manus Dei. Quod non simpliciter dicit, Manus mea erit cum eo: sed, Parata erit cum eo. Agnosce hic promptitudinem & alacritatem manus Dei ad auxiliandum. Sic alibi dicit: Clamabis, & dicet, Ecce adsum. Et, Antequam clament, ego audiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam. Quod non simpliciter dicit, Manus mea erit illi parata: sed, Erit parata cum eo. Oportet & ipsos seruos Dei laborare. Laborantibus, non ociosis ac negligentibus, parata est manus Dei. Quod adiecit, Etiam brachium meum corroborabit eum: admonet nos, non leue esse paratum auxilium seruis Dei, sed omnino forte ac robustum, plenum ac perfectum. In uerbo corroborandi, consideremus humanam infirmitatem: quæ nisi diuinitus corroboraretur, nullo pacto consistere posset. Corroborationem hanc etiam Apostolus suis pollicitus est Dominus, dicens: Donec uirtute induamini ex alto. Item Hier. uide.

Non opprimet eum inimicus.) Obseruandum hic est, primū, sortiri seruos Dei in terra hac inimicos, ad opprimendum & adfligendum paratos. Fit hoc impulsu satanæ principis huius mundi. Alioqui inhumanum est, odisse eos qui nemini obesse, sed omnibus prodesse cupiunt. OBSER. II.

Et filius iniquitatis.) Deinde notandum est, quale sit hoc genus hominum, quod inimicum est seruis Dei. Vocat eos hic filios iniquitatis. Non simpliciter eos malos & iniquos esse notat, sed semper ac progeniem iniquitatis. Oportet reuera insigniter malum & iniquum esse ingenium, quod seruis Dei inimicum esse potest. In illis qui huiusmodi sunt, regnat satan, aduersarius Dei. Et ipsi iusti ac pii seruis Dei nec ubiq; nec semper, ut par est obediunt, inimico tamen erga illos animo non sunt, præditi. Est enim hoc diabolicæ iniquitatis, illud imbecillitatis humanæ. Tertiō, uidemus etiam hic expressum, qui sint inimicorum erga seruos Dei conatus. Conantur opprimere, adfligere ac tribulare. Sunt enim odio infecti, sicut amici in hoc sunt, ut extollant & benefaciant, eo quod diligunt. Hinc est, quod uelut ex fructibus arbor, ita ex operibus bonis amicus, ex malis inimicus cognoscitur. Quartō, notandum etiam est, quod conatus inimicorum inanes redduntur, si adsit manus Dei seruis suis. Non dicit, Non conabitur eum opprimere inimicus: sed, Non opprimet eum inimicus. nec dicit, Et filius iniquitatis non conabitur eum adfligere: sed, Non adfliget eum. Permittit illis Deus, ut pro maliciæ suæ ingenio nocendi, opprimendi & adfligendi consilia capiant, tentent ac conentur: uerū, ut quod conantur perficiant, non ita permittit.

Quintō. Et conteram à facie eius tribulantes eum.) Ecce non solum irritos reddit inimicorū conatus, sed & eos conterit ac percutit. Quid enim iustius & æquius est, quā ut qui seruos Dei odiūt, tribulant, & opprimere adfligereq; conantur, diuina ultione conterantur & percutiantur, ut quod alijs intentant, non solum non perficiant, sed in seipsis perpetiantur.

Notandum est autem, quod non dicit, Et conteret tribulantes se, & odientes se percutiet: sed, Et conteram tribulantes eum, &c. ut agnoscas non humanam, sed diuinam ultionem. Quod itaque Dauid inimicos suos Philisteos, Ammonitas, &c. magnis cladib. attriuit, manus Dei fuit. Hæc eadem etiā illos inimicos à facie eius cōtruiuit, quos ipse non percussit, utpote Saulē cum suis, &c.

Et fides mea & bonitas mea cū ipso, & in nomine meo exaltabitur cornu eius. 24
Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius. 25

Præcedentibus uersibus regi suo Deus auxilium ac robur contra omnis generis hostes, ac hostiles insultus pollicitus est, quo non solum tutus esset ab illorum impugnationibus, sed & uictor eorum euaderet: iam consequenter, & reliqua cū personam ipsius, tum regnum & posteritatem concernentia subiungit.

Et fides mea & bonitas mea cū ipso.) Pollicetur his uerbis ipsum beneficentiæ fontem, fidem scilicet, ac bonitatem suam. Quasi dicat: Si quid fidei ac bonitatis in me est, paratum illi erit in omnibus. Declarabo erga illum fidem ac bonitatem meam. Vers. 24.

Et in nomine meo exaltabitur cornu eius.) Redit ad beneficentiæ pollicitationem, ac de regno illius quædam promittit. Primū, quod sit firmum futurum ac robustum: quod dictione cornu intelligitur, per quam regnum, roboris gratia, significat. Deinde, quod sit futurum sublime & augmentum, quod exaltationis uerbo promittit.

Et in nomine meo, inquit, exaltabitur cornu eius.) hoc est, Propter me, propter nomen meum, propter gloriam nominis mei efficiam, ut regnum eius non sit humile & abiectum, sed sublime. Regnum eius meum est, & nomini meo subiectum, ideoq; propter nomen meum illustrandum & glorificandum exaltabitur cornu Dauidis uncti mei.

Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius.) Tertiō pollicetur etiam regni amplitudinem, nempe quod regnaturus sit Dauid hac ad mare, & illac ad Mesopotamiam Syriæ usque: id quod & contigit, sicut uidere est 2. Sam. octauo. Quod autem manus ac dexteræ meminit, de potentia quidem regni intelligendum est: sed ea quæ belli iure contigerit, quo dominatus est cū Philisteis ad mare, tum Syris in Mesopotamia. Per manum intellige sinistram, & finge te imaginē Dauidis

Davidis armati ita uidere collocatam, ut læua Philisteos, dextera Syros apprehenderit.

OBSER. I. *Et fides mea & bonitas mea cum ipso.* Suprà initio psalmi Propheta fidem se ac bonitatem Dei decantaturum dixit, quas etiam hic in oraculo Dei coniunctas uidemus. De illis suprà quædam notata sunt. Cum hæc sint uelut radices omnium eorum quæ Dauidi in hac regni causa post uncti-
onem à Samuele acceptam contigerunt, operæ fuerit precium animo pio expendere diligenter, quomodo in historia gestorum Davidis eluxerint. Non solum autem de gestis illis loquor, quæ ab eo feliciter sunt perfecta, sed & de uniuerfa illa iactationis & exilij calamitate, quam à Saule profligatus, aliquandiu tolerauit. Nam & in hac deprehendere est bonitatem ac fidem Dei. Plurimum de diuinæ ac paternæ bonitatis dispensatione deterunt, qui hanc in rebus prosperis dumtaxat considerant, & alienam à tempore crucis & afflictionis esse iudicant.

Cum ipso. Non dicit simpliciter, Benefaciam illi: sed, Fides mea, & bonitas mea cum ipso. Reperias, qui in externis alicui benefaciant, cum tamen corde non sint admodum erga illum propenso & amico. At hic, ut ueram agnoscas beneficentiam & gratiam, non solum benefacit suis Deus, sed fides ac bonitas eius cum ipsis est.

Nota etiam ingenium bonitatis & fidei. Sunt hæc uirtutes ita comparatæ, ut licet sedem suam in intimis habeant cordis affectibus, natura tamen sua ad eos sese exerant, & cum illis sint, quos sunt semel dilectionis communicatione coplexæ. Iam ubi bonus est ac fidelis, nisi ubi fides eius est ac bonitas? Vbi fides ac bonitas Dei erant? Cum Dauide. Ergo fidelis ac bonus Deus erat cum Dauide. Exprimit itaq; hæc locutio suauissimum diuini amoris affectum & ingenium.

OBSER. II. *Et in nomine meo exaltabitur cornu eius.* Notemus hunc locum. Non expendendum est, qualis aut quis fuerit Dauid in se, dignus ne uel indignus, cuius cornu exaltaretur, sed potius considerandum cuius fuerit. Seruus Dei erat, ac talis, in cuius exaltatione non ipsius, sed Dei nomen exaltatum sit. Multa legimus populo Dei contigisse, quorum non facile dignam poteris reddere rationem, nisi unam hanc, quod habenda fuerit nominis Dei ratio. Volebat Deus glorificare nomen suum in regno Davidis prouehendo & confirmando. Hæc igitur causa erat, ob quam cornu illius exaltaretur. Et huc etiam sedulo pijsimus rex in omnib. respexit, unde illud toties in psal-
Iehos. 7. mis occurrit, Propter nomen tuum. Et Iehosua dicebat: Quid facies nomini tuo magno? Vtinam principes nostri hoc diuini nominis glorificandi studio tenerentur, nō dubitarim & illis partem hanc oraculi tribui posse, ut & ipsorum cornua in nomine Dei exaltarentur. Scriptum enim est:
1. Sam. 2. Quicumq; honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Quoniam uero suæ ipsorum, non Dei gloriæ student, uidemus hoc illis accidere, ut cornua ipsorum deprimantur, non exaltentur. Nullius autem principis cornu in nomine Dei exaltari potest, nisi perspicue gloriæ Dei studeat.

OBSER. III. *Et ponam in mari manū eius.* Ista Iudaici regni amplitudo promissa fuerat Israeli à Deo, Exodi 21. Deut. 11. Iehosue 1. ac sub Dauide demum & Salomone plenè reddita. Quid hic notandum sit, uide supra psal. 72. uers. 8. Primum, non extendit regni huius amplificatione ultra fines olim in promissionibus sub Mose & Iehosua præscriptis. Deinde, causa expendenda est, ob quam promissionis huius effectus hætenus impeditus fuit. Tertiò, consideremus etiam hoc, quàm pulchrum nomen Dei & manus Davidis in eodem amplificandi regni, & implendæ promissionis opere coniungantur. Non dicit, Et ponet manum suam: sed, Et ponam manum eius in mari. Nec Dei opus sine manu Davidis, nec manus Davidis sine opere Dei ponuntur: sed operi Dei coniunguntur manus Davidis. Dilatauit uncto suo regnum Deus, & promissa sua adimpleuit: uerum per manus Davidis, quas sicut alibi dicit, ad prælium direxit. Non opitulatur ociosis manus Dei.

26 Ipse inuocabit me, pater meus es tu, Deus meus, ac rupes salutis meæ.

27 Et ego quoq; primogenitum ponam eum celsiorem regibus terræ.

LECTIO.

Rupes salutis meæ. Ebr. *אֲבִי יְהוָה*, id est, Petra, saxum, rupes, uel fortitudo salutis meæ. Vetus legit, Susceptor salutis meæ. Græcus habet *ἀδελφὸς τῆς σωτηρίας μου*, id est, Adiutor salutis meæ: sicut & Arabs legit, Auxiliator liberationis meæ. Verum nihil est discriminis, nisi quod interpretes isti metaphoricam loquutionem in propriam transfulerunt.

EXPLA-

NATIO.

Versu 26. cum dicit, Ipse inuocabit me, pater meus es tu, &c. significat, qualis sit hic rex erga se uicissim futurus, ideoq; illius pietatem commendat. insignem admodum & eximiam. Primum ab eo, quod sit ipsum inuocaturus. Ipse, inquit, inuocabit me: hoc est, à me pendeat, & meo auxilio & ope nitetur, ad me confugiet in omnibus, non innitetur suis ipsius cōsilijs aut uiribus. Deinde ab eo, quod habiturus sit ipsum patris ac Dei loco, dicturusque, Pater meus es tu, & Deus meus. Ipse, inquit, inuocabit me, ac dicet, Pater meus es tu, & Deus meus: id est, Haud aliter à me pendeat, & ad me confugiet, quàm sicut filiolus à prouidentia paterna pēdet, & summa ad illam fiducia confugit. Tertiò, ab eo quoq; quod sit agnitus omni suam salutem, in ipso haud aliter quàm petra omnium robustissima consistere: ideoq; inuocando & laudando dicturus, Rupes es, id est, robur ac firmamentum salutis meæ.

Versu uigesimo septimo, cum subiicit, Et ego quoq; primogenitum ponam eum, celsiorem, regibus terræ: dignitatē regis huius & excellentiā exprimit, qua sit eum uicissim honoraturus. Non dicit, Et ego quoq; filiū eum: sed, Primogenitum ponam. Loquitur autē secundū eam consuetudinem,

A fuerudinem, qua regū primogenitis sedes regia debetur, Vnde & subdit, Celsiorē regibus terræ.

Secundum historiam, quæ est 2. Sam. 7. tribuuntur ista Salomoni, Dauidis filio, de quo sic legimus: Cumq; completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum eius. Ipse edificabit domū nomini meo, & stabiliam thronum regni eius, usq; in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium. Hæc ibi. Nemo tamen ita ista Salomoni adaptari putet, ut hic ad Dauidem referri nequeat. Dauidi quippe ut patri: Salomoni uerò tanquam illius semini competunt.

Ipse inuocabit me.) Notandum est hic, quo loco sit apud Deum inuocatio ista. Commendat hoc & laudat in Dauide, imò gloriatur in eo, quòd sit se inuocaturus. Quis non cupidè amplectitur ea, si præsentia sint, de quibus futuris admodum gloriatur? Exigit hoc à suis Deus ut se inuocent, psal. 50. dicēs: Inuoca me in die tribulationis, &c. Hoc loco gloriatur de Dauide, quòd sit se inuocaturus. Liqueat ergo hoc illi esse gratissimū, ut se inuocemus. Hinc illud est Apostoli: Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. Quæ est igitur diabolica ista diffidentia, qua sit, ut citius ad inuocandum sanctos mortuos, quàm Deum ac patrem nostrum persuadeamur?

OBSER. I.
Nota, quare nō dicat, ipse offeret mihi uictimas. Vide psal. 50.

Pater meus es tu, Deus meus.) Notemus hic primū, quæ cordis fides ac fiducia ad hanc inuocationem necessariò requiratur: ea nempe, qua credamus Deum & patrem esse ac Deum nostrū. Qui non potest dicere, Pater meus es tu, ac Deus meus, non potest etiam in ueritate Deum inuocare: fides hæc non est omnium, ideoq; & ipsa inuocatio non est omnium. Quomodo inuocabunt, inquit Apostolus, in quem non credunt? Nascitur autem ex auditu Euangelij, quo nobis Deus pater ac Deus noster omnium placatissimus in Christo prædicatur. Vbi hæc est, adest simul spiritus filiorum Dei, in quo clamamus, Abba pater.

OBSER. II.
Rom. 10.
Rom. 8.

Nota uerò, quòd non dicit, Pater noster es tu, ac Deus noster: sed, Pater meus es tu, ac Deus meus. Licet enim non malè inuocet, qui dicit, Pater noster es tu, ac Deus noster: potest tamen fieri, ut sint qui generaliter has uoces proferant, ac dicant: Pater noster es tu, ac Deus noster: quorum tamen nemo cum fiducia specialiter dicat, Pater meus es tu, ac Deus meus. At talis est hæc piorum fides, ut non solum dicas, Pater noster in genere: sed &, Pater meus, specialiter: hoc est, non solum credas Deum esse patrem ac Deum nostrum, sed singulariter etiam tibi patrem esse ac Deum sentias. Deinde, notemus etiam, quomodo istæ uoces, Pater & Deus, in hac sint inuocatione coniunctæ. In patre amor paternus, & uoluntas ad auxiliandum prona: in Deo, potentia & uirtus diuina, nusquam non præsens consideranda proponitur. Si terret maiestatis diuinæ contemplatio, erigit rursus paterni amoris consideratio. Interim expendamus etiam, quomodo harum uocum coniunctio studio pietatis ac ueræ iusticiæ seruiat, ad quod necessariò requiruntur dilectio ac reuerentia erga Deum. Dilectioni nobis alendæ seruiat, quòd pater noster: reuerentiæ uerò, quòd Deus noster est: ut uidelicet eum diligamus ut patrem, reueremur tanquā Deum, atque ita dilectione hac & reuerentia in obedientia illius crescamus & conseruemur. Verissimum itaque est quod Paulus 2. Timoth. 2. dicit: Discedit ab iniquitate omnis qui inuocat nomē Domini. Loquitur autem de hac inuocatione, qua illum, tanquam Deum & patrem nostrum inuocamus. Sicut igitur honesta uxor utraque ista coniungit, ut uirum suum tanquam maritum diligat, & tanquam Dominum ac caput suum reueretur, atq; ita diligendo & reuerendo uoluntati illius studeat: ad hunc modum & nos hæc duo coniungentes, in obedientia Dei ac patris nostri instituiamur ac persistamus.

Matth. 6.

Ac rupes salutis meæ.) Vide quæ sit inuocantium Deum conditio. Etiam rex potens ac magnus, imò, sicut sequens uersus indicat, celsior regibus terræ, salute opus habet. Quid autem salus est aliud, quàm conseruatio & ereptio? At illa salutis necessitas infirmorum est, imò uniuersæ creaturæ. Quicquid creatum est à Deo, necesse habet ut conseruetur. Deinde uide, quò salutem suam referat, nempe ad patrem ac Deum suum. Qui ergo salutem alibi querit, impius est, ac Deum & patrem suum negat. Tertiò nota, quòd non simpliciter dicit, Ac salus mea: sed, Ac rupes salutis meæ: ut hanc significet esse immotam & inuictam.

OBSER. III.

Et ego quoque primogenitum ponam eum.) Obseruemus hic, quæ sit honoris uicissitudo illis à Deo speranda, qui ipsum patris ac Dei sui loco habent, colunt, & inuocant. Sunt illi uicissim filiorū loco, & redduntur regib. terræ celsiores. Hanc enim dignitatem primogenituræ, quam habemus in Christo, per quam regale genus cōsequuti sumus, & cum Christo in Christo regnamus, nemo piorum cum quantumuis maximo terreni regis splendore commutabit. Augustinus illā alicubi etiam angelico honori præponit, dicens: Quòd tu es, fieri dignatus es Deus fili mi, non factus es quod est angelus. Te exaltauit super angelos, tu etenim iudicabis angelos. Nollem habere locum angeli, si possem habere locum debitum homini.

OBSER. II.

At primogenituræ huius dignitas & sublimitas in capite nostro Christo, cuius typum hic locutus habet, consideranda est. Ipse siquidem is est filius Dei, qui uerè ac perfectè pius, Deum patrē inuocauit & coluit, quē & pater uicissim Christum ac Dominum fecit, Act. 2. & celsiorem regib. terræ. Regnum enim illius, & de hoc mundo non est, sed cœleste ac spiritale, ita certè omnia mundi regna excellit: nec excellit modò, sed & imperium in illa obtinet: quapropter & Psal. 2. reges admonentur, ut illi seruiant ac subijciantur.

1. Pet. 2.

Aug. de uis. infirmorum lib. 2. cap. 2.

De homine Christo.

Ioan. 13.

Notandum & hoc est, quòd non dicit, Et ego primogenitum uocabo eum: sed, Ponam eum,

o o 2 id est,

id est, constituam & faciam. Nec uersu præcedenti dixit, Ipse ponet me patrem ac Deum suum: sed, C Ipse inuocabit me, pater meus es tu, Deus meus, &c. Ergo hoc à nobis requiritur, ut Deum non constituamus Deum ac Patrem nostrum: sed talem existentem agnoscamus, inuocemus & colamus: & hoc facientes, uicissim ab eo non pro talibus agnoscimur quales sumus, sed quales non sumus ipsius beneuolentia ac dignatione reddimur, & constituimur. Ipse Deus noster est, ac pater, etiam antequam à nobis talis esse agnoscat: nos uero primogenituræ huius dignitatem non habemus à nobis ipsis, sed ab eo accipimus. Ipse quod est, à seipso est: nos quod in Christo sumus, per illius gratiam constituti ac facti sumus. Nemo itaque Christianus obliuiscatur, quis natura fuerit, & quis per gratiam factus sit.

28 In seculum custodiam illi bonitatem meam, & pactum meum erit ei fidele.

29 Et ponam perpetuum semen eius, & sepem eius sicut dies cælorum.

EXPLA-
NATIO

Iam deinceps ad finem usque oraculi perpetuitatem eorum pollicetur, quæ fœderis gratia Dauidi promissit. unde & illa crebrò inculcat, In seculum, fidele, perpetuum, sicut dies cælorum, non auferam, non fallam, non prophanabo, non irritabo, sicut sol, sicut luna, &c. quibus omnino certa fore sempiterna ac firma, quæ pollicetur, affirmat.

Verf. 28.

In seculum custodiam illi bonitatem meam.) Suprà dixit, Et fides mea & bonitas mea cum ipso. Hic pollicetur illius perpetuitatem. Primum, inquit, Custodiam bonitatem meam: id est, curabo ut non fiat irrita. Deinde, non simpliciter, Custodiam, inquit: sed addit, Illi. Tertiò, In seculum, inquit. Et pactum meum erit ei fidele. Suprà uers. 3. dixerat, Percussi fœdus cum electo meo. Hic promittit, fore illud certum ac firmum. Hoc enim Ebræa dictio נאמנא, quam reddidi Fidele, significat. Iterum non simpliciter dicit, pactum suum fore fidele, sed erit ei fidele, inquit.

Verf. 29.

Et ponam perpetuum semen eius.) Quæ hoc uersu de seminis ac sedis perpetuitate promittit, promissit & suprà uers. 4. Illic dixit, Usque in æternum stabiliam semen tuum: hic, Ponam, inquit, perpetuum semen eius. Illic, Et ædificabo in generatione & generationem sedem tuam: hic, Et sedem eius sicut dies cælorum. Nihil est igitur aliud per dies cælorum intelligendum, quam quod per generationum sese continua serie inuicem subsequenter perpetuitatem intelligitur.

OBSER. I.

Ordo eorū quæ
Dauidi promittuntur.

In seculum custodiam illi bonitatem meam.) Notemus ordinem ac progressum earum rerum quæ Dauidi diuinitus promittuntur. Primum ponitur bonitas, deinde pactum, tertiò beneficia pacto annexa. Bonitas quasi fons est, unde & pactum, & pacti beneficia, cum semen, tum sedem Dauidis concernentia, fluxerunt. Inter bonitatem Dei, & beneficia Dauidi promissa, intercessit pactum, ut non solum bonitatis sensum in beneficijs præsentibus caperet, sed & de certitudine illius confirmaretur, & futurorum fidem animo conciperet. Hæc est diuinæ bonitatis diligentia, quam spiritus sanctus multis scripturæ locis considerata proponit.

OBSER. II.

Bonitatis diuinæ
custodiæ cō-
iuncta est pacti
stabilitas.

Et pactum meum erit ei fidele.) Nota, quod bonitatis diuinæ custodiæ pacti stabilitas coniungitur. Licet enim uerax & fidelis sit Deus in promissis, nec mutetur: ea tamē est humanarū mentium corruptio, ut in fœderis conditione persistere nequeant, sed quantum in ipsis est, iura pacti omnium citissime irrita reddant. Quapropter omnino necessarium est, ut pacti cum Deo initi stabilitas, bonitatis illius cōstantia & custodiā nitatur. Quod igitur nostræ fidei dari non potest, necesse est diuinę bonitati adscribatur, sine qua nulla poterit mortalibus cū Deo stabilis esse & firma cōiunctio.

OBSER. III.

Regni perpetui-
tatis seminis æter-
nitati addita.

Et ponam perpetuum semen eius, & sedem eius sicut dies cælorum.) Quia sedis perpetuitatem promittit, recte & de seminis æternitate adiungit. Cum enim mortalis fuerit Dauid, fieri non potuit, ut regno æterno per se potiretur: sed necesse fuit, ut promissionis huius ueritas per succedentis seminis perpetuitatem adimpleretur. Si respexerimus ad terrenum illius regnum, non respondebit illud ueritati huius oraculi, sicut & suprà uers. 4. admonui. Quapropter necesse est, ut seminis huius perpetuitas Christo tribuatur, cui & sedis æternitas detur: alioqui nec de semine, nec de regno Dauidis quicquā superesse doceri potest. Apparet hic, quāta fuerit Romanorum principum Vespasiani & Domitiani cæcitas, qua Dauidis posteritatem, ut deleteretur, inquiri iusserūt. qua de re Euseb. Eccles. hist. li. 3. cap. 12. sic scribit: Per idem tēpus Vespasianus post excidia Hierosolymorum omnes, si qui fortē ex familia Dauid superfuissent apud Iudæos, uelut regalis prosapię uiros perquiri iubet. Vnde etiā pro hac causa grauissima Iudęis persecutio exorta est à Tito filio Vespasiani. Et cap. 19. Apud ipsum uerò Domitianū, inquit, cū iussisset omnes periri, qui de genere Dauid & regia stirpe descenderēt, uetus traditio tenet, quod delati sint quidā, quod essent de posteritate Iudę, quę fratrem fuisse Saluatoris secundum carnē tradunt, quiq; duplici urgebātur inuidia, uelut qui ex Dauid genere, & ex ipsius Christi propinquitate descenderēt. uide sequētia cap. 20. in quib. cōmemoratur, quomodo Domitianus de regno Christi instructus, quod terrenū non sit, sed spirituale, delatos Dauidis posteros liberē abire permiserit, & edictū contra Christianos uulgatum reuocauit. Hunc errorē itaq; quo Iudęi terreni regni perpetuitatē posteritati Dauidis pollicebātur, apparet ad Romanos esse principes delatū, & sicut solent tyranni omnia metuerē quæ uel in speciē timenda uidētur, isti sequitū causam dedisse, quem in modū & hodie principes in eos sequi uidemus, qui doctrinę Euangelij adhærent, eo quod reprobis hominū suggestionē seditionis ac rebellionis pericula cauēda esse putant: quem errorē generant carnaliores Christiani, qui doctrinā libertatis spiritus, in licentiam ac præposteram carnis libertatem transformant.

Si dere-

A Si dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint. 30
 Si statuta mea prophanauerint, & mandata mea non custodierint. 31
 Visitabo in uirga transgressionem eorum, & in uerberibus iniquitatem e- 32
 orum.

(Si statuta mea.) Ebr. אֲמַרְתִּי. Græc. reddit *τα δὲ δικαιώματά μου*, id est, Si iusticias meas. quemad- LECTIO
 modum & Vulgata uersio habet. Chald. legit אֲמַרְתִּי, id est, Si statuta mea. Arabs Ebræam di- Vers. 31.
 ctionem retinuit.

(Visitabo in uirga transgressionem eorum.) Ebr. בַּשֵּׁעָ. Græcus *τὰς ἀνομίας αὐτῶν*, id est, Iniquitates eo- Vers. 32.
 rum. Sic & Vulgata uersio. Chald. בְּרִירֵיהֶן, id est, Impia scelera eorum.

(Et in uerberibus iniquitatem eorum.) Ebr. עֲוֹנוֹתָם. Græc. *τὰς ἀδικίας αὐτῶν*, id est, Iniustitias eorum. Vul-
 gata uersio, Peccata eorum. Sicut & Arabs.

Quoniam dum perpetuitatem bonitatis ac fidei suæ, fœderis etiam ac regni Dauidi & semini EXPLA
 eius pollicetur, futurum esse occurrit, ut posteri Dauidis paterni fidei non respōdeant, sed legem NATIO.
 suam, iudicia, statuta & mandata transgrediendo præuaricentur: interfert hanc particulam, qua
 simul, cum quid facturum sit delinquentibus posteris, tum quā non sit ea quæ ipsi Dauidi polli-
 cetur mutaturus, declarat.

(Si dereliquerint filij eius legem meam.) Filios Dauidis, posteros eius uocat, quibus regni sedem de- Vers. 30.
 putauit. Non loquitur de peccatis populi, quorū in hac causa non habetur respectus: sed de trans-
 gressionibus regum, filiorum Dauidis, quibus regia sedes meritō propter diuinæ legis præuari-
 cationem adimi poterat. Legem חֻקֵּי ה' nominat, id est, doctrinam & instructionem. Sic autem to-
 tam legem uocat in genere.

(Et in iudicijs meis non ambulauerint.) Iudicia מִשְׁפָּטֵי ה', eam legis partem intelligit, qua præscribitur,
 quomodo in quibuscunq; controuersijs inter fratrem ac fratrem iudicari: & si quid à quopiā delin-
 quitur, castigari debeat. Vnde & מִשְׁפָּטֵי ה', id est, iudices dicuntur in scripturis, quibus iudiciorū
 Dei exequutio demandata est. Alij etiam aliter exponunt, sed hic sensus uidetur esse simplicior.

(Si statuta mea prophanauerint.) חֻקֵּי ה', ea statuta uocantur, quæ ritus ac ceremonias præscribunt, Vers. 31.
 utpote de sacerdotio, cultu, oblationibus, circumcisione, sabbatis, neomenijs, diebus festis, pu-
 rificationibus, &c. Prophanantur hæc statuta, quando uel temerē sine debita religione ac pieta-
 te, uel à quibuslibet sine discrimine, uel precio perficiuntur, uel traditionibus humanis adulte-
 rantur ac corrumpuntur.

B Et mandata mea non custodierint.) מִצְוֹתָי, præcepta sunt, quæ de timendo ac diligendo Deo, legisq;
 illius obseruantia & custodia mandant. Vocant hanc diuinæ legis partem moralem, eo quod ui-
 tæ ac morum institutionem complectatur. Huc refertur Decalogus.

(Visitabo in uirga transgressionem eorum.) Transgressionem & iniquitatem uocat, ea quæ duobus præ- Vers. 32.
 cedentibus uersibus recensuit: utpote, derelinquere legem Dei, non ambulare in iudicijs Dei,
 prophanare statuta Dei, & mandata illius nō custodire. Virgam & uerbera uocat castigationem
 & emendationem delinquentium, quæ fit fame, bello, peste, &c. 2. Sam. 7. uocat hanc castigatio-
 nem uirgam & plagas filiorum hominum, id est, quæ filijs hominum competant: sicut uirga ser-
 uorum, qua serui emendantur. Rem autem eandem hoc uersu bis dicit. Nihil est enim aliud uir-
 ga, quā uerbera. Veritatem huius loci uidere est in historijs domus Dauidis, in quibus utraque
 ista leguntur, cum quod posteri illius legem Dei deseruerint, tum quod uirga hac & uerberibus
 diuinitus castigati sint. Comminatus est autem per Mosen Leuit. 26. Israeli quoq; Dominus hac
 uirgam, si legem suam dereliquerent. quam comminationem prophetæ delinquentibus fide-
 ter & magno serio creberrimē obiecerunt.

(Si dereliquerint filij eius legem meam.) Principiō notandum hic est, custodiam legis annexā esse fœ- OESER. I.
 deri, eamq; talem, quæ non Dauidem modō, sed & posteros eius, etiam reges, concernat. Quæ
 propter & Deut. 17. regibus hoc specialiter præscriptū est, ut Deuteronomium legis sibi descri-
 bant, ac secum habeant, legantq; omnibus diebus uitæ suæ, ut discant timere Dominum Deum
 suum, & custodire uerba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Et hæc est altera pars fœ-
 deris, pertinet ad obedientiam Deo debitam, quæ ab omnibus diuini fœderis consortibus me-
 ritō exigitur, præsertim autem ipsis regibus. Sumus & nos Christiani in fœdere Dei, & hætenus
 nos quoque ista obedientia concernit, etiam si non talis, quæ nos literæ legis Mosaicæ subijciat:
 ea tamen quam Christus tradit, cum dicit: Docentes eos seruare quæcunq; ego præcepi uobis. Matth. 23.
 Hodie rarissimus est inter principes, qui hoc ad se pertinere ducat, ut codicem uerbi Dei in ma-
 nu sumat, seq; diuinæ obedientiæ subiectum esse agnoscat.

Deinde quærendum est, quare non dixerit, Derelinquent filij eius legem meam, cum præsciue-
 rit eos præuaricatos? Verum est, poterat dicere, Derelinquent filij eius legem meam: sed ma-
 luit ad hunc modum humano more loqui, ut diceret: Si dereliquerint filij eius legem meam, si-
 cut & multis alijs scripturæ locis loquitur. Non enim hoc agebat, ut prædiceret eos præuaricatos
 ros: sed ut significaret quid ipse facturum esset, si præuaricarentur. Non est admodum consultum,
 ut sciamus iam antea, quid olim facturi simus: sed hoc demum sciendum est, quid expectandum
 sit à Deo, si deliquerimus: & quid sperandum, si rectē egerimus.

OBSER. II. Et in iudicijs meis non ambulauerint.) Notandum hic primum est, quæ sint diuinæ legis partes, quas in oraculo hoc expressas uidemus. In genere dixit: Si dereliquerint filij eius legem meam, iam species ac partes legis subiicit, id quod non præter rationem. Poterat enim simpliciter dicere: Si legem meam non custodierint, uisitabo in uirga transgressionem eorum. Verum uoluit partes legis diligenter exprimere, ut & plenam illius ac iustam obedientiam posteris Davidis commendaret. Sunt autem partes legis, quas hic ponit, hæc tres: Præcepta, ceremoniæ & iudicia. Et his tribus triplex etiam ministerium competeat. Sacerdotum scilicet, doctrina, & munus iudicandi. Sacerdotes ritibus ac ceremonijs, doctores doctrinæ præceptorum, cui parti propheta etiam adhibiti sunt, iudices iudicijs præfecti erant, Samuel hæc tria solus exequabatur, & sacerdos & propheta & iudex existens. Et hodie in quibusdam Ecclesijs hæc sunt distincta munera, ut alij sint ceremoniarum ac sacramentorum, alij uerbi, alij uero iudiciorum ministri, quæ postrema pars magistratibus celsis: in prima uero Ecclesia, ad seniores Ecclesiæ pertinebat. quæ de re uidere est in Apologetico Tertulliani, cap. de disciplina Christianorum, ubi sic dicit: Si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis & conuentus, & omnis sancti commercij relegatur, præfident probati quique seniores, honorem istum non precio, sed testimonio adepti. Et ante hæc uerba: Nam & iudicatur, inquit, magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri iudicii præiudicium est. Hæc ille. In nonnullis uero Ecclesijs ceremoniarum & uerbi ministeria coniuncta sunt, ita ut per eodem administrantur. Deinde & hoc obseruandum est, quod hæc tres partes, id est, doctrinæ & institutioni adscribuntur: unde admonemur, non modò præcepta, sed & iudicia & ceremonias hoc spectare, ut homo in cognitione Dei ac studio ueræ pietatis instituatur ac doceatur. Præcepta uerbis, ceremoniæ typis & figuris, iudicia correptionibus & castigationibus doceant. Hæc tres partes sunt etiamnum necessariae in Ecclesia. Licet enim prima ac præcipua pars Euangelicæ gratiæ prædicandæ, ad quam sacramentorum usus pertinet, debeatur: legalis tamen ista, quæ præcepta uitæ & iudicia complectitur, non est abijcienda, sed etiam si secundo, magno tamen serio exercenda, ne hoc solum proponatur fidelibus, quid credere, sed & quid uiuere debeat: nec obediens tantum instruantur, sed & delinquentes castigantur.

OBSER. III. Si statuta mea prophanauerint.) Singulariter etiam hæc particula notanda est, quæ de statutis, id est ceremonijs ac ritibus loquens, prophanationis uerbum usurpauit. Nihil enim æquè timendum est in hac pietatis parte, atque prophanationis malum: facillimum quippe est, uel temerè absque religione ac fide: sensu sacramentis Dei uti, uel simplicitate eorum traditionibus humanis corrumpere, atque ita & prophanare. Rarissimi sunt, qui statuta Dei sanctificant. Prophanationem sacramentorum noui Testamenti quis non bonorum hodie deplorat?

OBSER. IIII. Visitabo in uirga transgressionem eorum.) Primum obserua, quid expectandum sit confortibus fidei Dei, si obedientiam uerbi Dei ad se pertinentem non custodierint. Virga scilicet, & uerbera.

Deinde nota, quod non simpliciter dicit, Percutiam eos: sed, Visitabo in uirga & uerberibus. Aliud est percutere simpliciter, aliud uisitando percutere. Visitatio ista prouidentiae & curæ paternæ opus habet. Metaphora est sumpta ab illis qui uel ægros curandos, uel pueros instituendos, uel oues pascendas susceperunt. Tertiò. Non dicit, Visitabo eos in uirga: sed, Visitabo in uirga transgressionem eorum. Admonemur, famem, pestem, morbos, bellum, & quæ alia sunt huiusmodi, deberi nostræ transgressioni. Cogitandum perpetuò est, quid in nobis uirga Dei uisitet, ut transgressionem nostras agnoscamus & emendemus. Quartò. Et in uerberibus iniquitatem eorum.) Ergo non loquitur de transgressionibus, quæ ex infirmitate carnis ueniunt, ideoque & quotidiana sunt etiam apud pios: sed de illis quæ ex iniquitate proficiuntur, id est, quibus iniquitas adscribi poterit. Has se uirga & uerberibus uisitaturum comminatur. ideo & supra non dixit, Si non per omnia satisfecerint filij eius legi meæ, & in iudicijs meis non perfecte ambulauerint, & statuta mea non plenè sanctificauerint, & mandata mea non ad amulsum seruauerint, quæ omnia infirmorum sunt: sed, Si dereliquerint legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint, & statuta mea prophanauerint, & mandata mea non custodierint, quæ non iam infirmorum, sed iniquorum sunt, ac parum religiosè de Deo sentientium.

33 Bonitatem uero meam non auferam ab eo, neque fallam in fide mea.

34 Non prophanabo pactum meum: & quod egressum est ex labijs meis, non mutabo.

35 Semel iuraui per sanctitatem meam, si Dauidi mentiar.

36 Semen eius perpetuum erit, & thronus eius sicut sol in conspectu meo.

37 Et sicut luna quæ firmata est in seculum, ac testis in cælo fidelis.

LECTIO. Bonitatem meam non auferam ab eo.) Græc. legit, ἀπὸ αὐτοῦ, id est, Ab eis, sicut & Arabs.

Neque fallam in fide mea.) Ebr. לא אשקר באמתתי. Græcus sic, ὅτι ἐν ἀληθείᾳ μου ἡ πίστις: id est, Neque iniuriam inferam, in ueritate mea. Vulgata uersio sic, Neque nocebo in ueritate mea. Chaldeus concordat cum Ebreo.

Semel iuraui per sanctitatem meam.) Ebr. בקדשי. Græcus habet, ἐν ἁγίᾳ μου, id est, In sancto meo, sicut & Vulgata uersio. Chaldeus legit, בשם קדשי, id est, In nomine sancto meo. Kimhi exponit בקדשי, id est, In sanctitate mea. Si Dauidi mentiar.) Chald. אין לדור אבר, id est, Non mentiar Dauidi.

EXPLANATIO. uidi. Et Arabs, Non fallam Dauidem.

NATIO. Quæ supra uer. 28. & 29. dicta sunt, his quinque uersibus repetit, nempe quod etiam si posteri Davidis

A Davidis præuaricentur, bonitatem tamen suam ac fidem auferre ab eo nolit, nec pactum suum prophanare, nec infringere iuramentum suum, quo semini eius regni est perpetuitatē pollicitus.

Bonitatem uero meam non auferam ab eo. Q. d. Etiam si filij eius legem meam dereliquerint, fidemq; fefellerint, ac statuta mea prophanauerint, illosq; ego uirga ac plagis percussuro, bonitatē tamen meam, quam Dauidi pollicitus sum, ab eo non auferā, nec fidem datā fallam, nec pactum meum prophanabo, nec promissiones meas mutabo. Promittit in summa duobus istis uersibus 32. & 34. imò non modò promittit, sed & repetendo inculcat, idq; magna cum diligentia, constanter se & immotè Dauidi seruaturum bonitatem suam ac fidem, pactum & promissa pacto adiecta.

Semel iurauit. Emphasim habet, quòd non simpliciter dicit: Iurauit, sed, Semel iurauit. id est, certò iurauit. Sic nos Germani dicimus, Ich hab's ain mal geredt.

Per sanctitatem meā. Qui iurāt, per aliquid quod maius sit quam ipsi, iurare solent. Deus nō habet per quod iuret, nisi per seipsum. Ideo iurat hic per suam ipsius, non alterius cuiuspiā sanctitatem.

Si Dauidi mentiar. Hæc est formula iuramenti, humano more posita, qua uti solent, qui non coactè & præter animi sententiam, sed suapte sponte & ex animo iurant. Per sanctitatem meam, inquit, iurauit Dauidi, si mentiar. Q. d. Si mentiar Dauidi, non sim sanctus. Solet hæc iurandi formula etiam per modum deuouendi usurpari, ut si dicas: Si hoc fecero, uel non fecero, patiar illud uel illud, obnoxius reddar illi uel illi plagæ. Verum in loco magis probatur prior expositio.

Semen eius perpetuum erit. Dixit, Semel iurauit: iam repetit declarando, quid iurauerit, nepe semen Dauidis ac regnum eius fore utraq; perpetua. Illud quod suprā dixit, Et sedem eius, sicut dies cœlorum, duobus istis uersibus 36. & 37. amplificat, ac solem & lunam, non solum tāquam exempla, sed testes perpetuitatis, quam semini ac regno Dauidis pollicitus est, inducit. Et thronus eius, inquit, sicut sol in conspectu meo. Q. d. Tam erit regnum hoc Dauidis in conspectu meo clarum & illustre, quā est sol illustris ac perpetuus coram me, perpetuo splendore suo terram illustrans.

Et sicut luna. Hanc particulam Kimhi Ebr. non solum de perpetuitate, sed & qualitate & conditione status regni Dauidis exponit ad hunc modum: Si boni fuerint filij eius, erunt tanquam luna plena & lucens: si mali, uelut luna uacua & obscura. Ipsum tamen regnum non desinet, sicut nec luna interim desinet, dum obscura est, sed perpetua manet.

Et testis in cœlo fidelis. id est, Constans, non fallens. Quarum autem rerum testis? Earum scilicet, quas Dauidi pollicetur. Nec insolens est, quod lunam in testimonium adsumit, cum alicubi cœlum ac terram testes aduocet. Potest etiam sic exponi, ut lunam dicat propterea fidelem testem in nubibus, quòd de temporibus certò testetur.

DE REGNO CHRISTI.

B Habent hi quinq; uers. illustrissimum uaticinium de Christo filio Dauidis, ac regno eius, quod nullo modo, sicut & suprā monui, de terreno Dauidis regno intelligi potest, quod ante multa secula desijt. Cum aut uaticinium hoc non solum semini, sed & regno Dauidis perpetuitatē, eamq; talem promittat, quæ solis & lunæ responsura æternitati, hoc est, omni sit tempore duratura, sicut & Kimhi Ebr. exponit, dicens, *בכל זמן יהיה בבני דוד*, id est, quoniam in omni tempore erit in filiis eius rex: quis non uidet, uel mentitū esse Deum, uel pertinere ista ad Christū, uerum Dauidis semen (anathema sint, qui Christū carnem cœlitus detulisse impiè nugantur) loqui; de cœlesti, non terreno Dauidis regno? Nec est, ut causentur Iudæi, uaticinium hoc factū esse irritum, propter maiorum suorum peccata, sicut dilationem aduētus Messiah peccatis suis adscribere solent. Disertis enim uerbis inculcat hic Deus, quòd, etiā si peccauerint posterij Dauidis, nolit tamē bonitatem, fidē, pactum & iuramentū suū irritare. nec quod egressum est ex labijs suis, mutare: sed sicut iurauerit Dauidi, ita efficere, ut semen eius perpetuum sit, & thronus eius sicut sol & luna in cōspectu suo sempiternus perduret. Reddāt igitur nobis rationē, quomodo ista adimpleantur, si de terreno regno dicta intelligunt: ostendant nobis semē Dauidis, quod hic in terra perpetuò regnet. At impossibile est, ut hoc faciāt. Si dixerint cessasse regnum Dauidis, doceāt nos, quomodo uerum sit præsens hoc uaticiniū, quod æternitatē illi pollicetur? Deinde respōdeant, an & semen Dauidis desijisse dicant. Si dixerint, unde futurū Messiah expectent, cuius expectatione in perti-
Contra Iudæos.
naci hac cæcitate perdurant. Si nāq; posteritas Dauidis desijt, unde futurū Messiah suū expectāt, quem ipsi iuxta scripturas filiū Dauidis uocari nō ignorāt? Si hanc desijisse negauerint, doceāt nos quomodo in uno uerū sit hoc uaticiniū, in altero non sit. Neq; enim seminis tantum, sed & regni Dauidis perpetuitatem pollicetur. Si in regno fefellerit, quis nā illud in semine cōseruando nō fallere credet? Et ipse Kimhi ad id quod Deus dicit, Semen eius in perpetuū erit, adiicit *בבניהם*, id est in regno. Et quod suprā citauit, In omni tēpore, inquit, erit in filiis eius rex. Ostendant ubi hodie sit semen Dauidis in regno. Non poterunt uspiam effugere. Aut mentitus est Deus, aut ipsi miseri falluntur. Nō est autē mentitus, qui nec mentiri nec fallere nouit. Conseruatur itaq; ueritas uaticinij huius, & regni Dauidici æternitas nunquam interrupta, in filio Dauidis Christo Domino, quem Deus pater Christum ac Dominum omnium fecit, cuius regni non est finis. Lucæ. i. Consideremus itaq; diligenter, quæ in hoc nobis sunt uaticinio de regno Christi proposita, ut pote, perpetuam illi annexā esse bonitatem ac fidem Dei, pactum etiā sempiternum, idq; iuramentum in infallibili confirmatū: deniq; regnū hoc in conspectu Dei instar solis esse, nō modò æternum, sed & illustre: nimirū regnum lucis, quod etiam in medijs mundi huius tenebris, ac nocte aliqui

crassissima, tanquam luna plena, reluceat. Huius admonendi sumus, quoties solem per diem, ac lunam plenam per noctem uidemus. Cogitemus illustrissima ista luminaria non solum esse testes perpetuitatis huius regni Christi, sed & exemplaria quædam gloriæ ac splendoris eius. Turcorum Imperator pertenuè quoddam lunæ cornu Mahometi sui insigne ostendat: hoc fortè portendens, ut sicut auctibus suis orbis lunaris impletur, ita perfidia hæc Mahometica, cum annexa sua tyrannide, totum sit progressibus suis orbem occupatura. Verum in conspectu Dei luna non Mahometicæ perfidiæ, sed regni Christi habet insigne. Est enim in illa densissima caligo, & tyrannidis molestia: in hoc uerò lux, & libertatis læticia. Quicquid igitur secta illa Mahometica molitur, nos iubet oraculum hoc certos esse de regni Christi gloria & æternitate, quam Deus hic iam tertio inculcat, & testes illius solem & lunam aduocat.

OBSER. II.

Neq; fallam fidem meam. Non dicit, Recusabo fidem meam: sed, Non fallam fidem meam. Poterat optimo iure fidem fallentibus Dauidis posteris, fidem & ipse recusare: uerum usq; adeo hæc recusare noluit, ut haud secus illam seruauerit, quam si hanc recusando falsurus fuerit. Discamus ergo hoc loco, quid sit fallere fidem: nempe non solum si promissa primi fregerimus, sed & si posteriores hoc fecerimus. Quemadmodum enim in matrimonio non censetur infons is maritus, qui uxoris perfidia irritatus, fidem & ipse fefellerit: ita & in alijs rebus nequaquam bono ac fideli uiro competet, ut fidem ne posterior quidem fallat.

OBSER. III.

Non prophanabo pactum meum. Ergo pactum cum hominibus initum, non solum hominibus sanctum haberi uult: sed & ipse hoc ita sanctum ducit, ut iudicet illud prophanatum iri, si quid illius non seruauit. Non simpliciter dicit, Non discedam à pacto meo: sed, Non prophanabo pactum meum. Quem dabis mihi magnatem huius seculi, qui iura pactorum ac foederum erga subditos hæc religione ac fide custodiat, ut sentiat illa à se quoq; prophanari, si in fide non perstiterit, non minus quam à subditis, si quid illorum transgressi fuerint: Hoc seculo pactorum prophanatio solis subditis impingitur, quantumuis magnates pro libidine gerant omnia.

OBSER.

IIII.

Quod egressum est ex labijs meis, non mutabo. Item, Semel iuravi. Non solum ueritas oris Dei obseruanda hic est, qua nitamur in omnibus: sed & curandum, ut illi os nostrum conformemus. Veritas de cet filios Dei, mendacium est filiorum diaboli. Qui ueritatis sunt studiosi, nō mutabunt quod semel loquuti sunt, nisi tale sit, quod citra offensam Dei præstari nequeat. Os mendax merito probris obnoxium est, & exorsum omnibus. Curandum ita est, ut magna ac diligenti religione oris nostri claustra custodiamus. Alioqui usuueniet, ut uel mendaces reddamur, uel cōtra Deum, aut nostram ipsorum commoditatem, quod ex labijs nostris egressum est, præstemus. Si uerò semel aliquid proloquuti fuerimus, quod nihil habeat unde Deus offendatur, ita præstemus, ut non sit opus idem denuò polliceri, quod olim probrosum habebatur. Vnde & hoc inoleuit, ut dicamus, Ich hab's ainmal geredt, man sol ain ding nit zuueymal redē. Imitetur id quod Iob 33. de Deo patre nostro legimus: Semel, inquit, loquitur Deus, & secundo illud non repetit.

QVINTA PARS PSALMI:

- 38 Tu uerò deseruisti & auersatus es, iratus es aduersus unctum tuum.
 39 Irritum reddidisti pactum serui tui, prophanasti in terra diadema eius.
 40 Dissipasti omnes maceries eius, posuisti munitiones eius confractionem.
 41 Conculcant eum omnes qui isthac transeunt, factus est opprobriū uicinis suis.
 42 Exaltaisti dexteram tribulantium eum, lætificasti omnes inimicos eius.
 43 Etiam retudisti robur gladij eius, & non stabiliuisti eum in bello.
 44 Finem fecisti splendori eius, & thronum eius in terram deiecisti.
 45 Præcidisti dies iuuentutis eius, operuisti eum confusione.

LECTIO.

Tu autem deseruisti. Ebr. ראה דבחה. Græcus reddidit, εὐδὲ ἀποδόναι, id est, Tu uerò repulisti. Chaldæus, ראה שבקתא, id est, Et tu reliquisti.

Iratu es. Ebr. חתעבית. Græcus, ἀνέβηται, id est, Distulisti. Chaldæus, ארגזית, id est, Indignatus es.
Diadema eius. Ebr. גזרר. Græcus, τὸ ἀγίασμα αὐτοῦ, id est, Sanctuarium eius. Chald. כלייה, id est, Coronam eius.

Munitiones eius confractionem. Ebr. מוחה. Græcus, ἀσπίδα, id est, Formidinem. Chald. חבא, id est, Destructionem.

Robur gladij eius. Ebr. צרר חרבר, quod quidam reddunt, Aciem gladij eius. Græcus, τὸν βραχίονα, id est, Auxilium.

Dies iuuentutis eius. Ebr. ימי עלרמיר. Græcus, τὰς ὑμῶν αἰῶνας αὐτοῦ, id est, Dies temporis eius. Chald. consentit cum Ebræo. Arabs legit, Dies annorum eius.

EXPLA

NATIO.

Quinta hæc psalmi pars bimembris est. Primum enim uersibus octo miserè queritur & deplorat regni Dauidici dissipationem ac proculcationem: deinde reliquis ad finem usq; ad orationem conuersus, restitutionem illius petit.

Vers. 38.

Tu uerò deseruisti. Queritur longè diuersa accidere Dauidis regno, quam habeant promissa Dei, quæ hætenus satis prolixè recensuit. Dixerat Deus suprâ uers. 21. Quoniam manus mea parata erit cum eo. Huic opponitur quod hic Propheta queritur, dicēs: Tu uerò deseruisti & auersatus es. Dixerat

A Dixerat uers. 28. In seculum custodiam illi bonitatem meam. at inquit hic, Iratus es aduersus unctum tuum. Tria ergo hoc uersu dicit. Primum, quod iratus sit Deus aduersus unctum suum: deinde, quod illum auersatus sit & abominatus: tertio, quod deseruerit.

Irritum reddidisti pactum serui tui.) At promiserat supra uers. 34. Non prophanabo pactum meum: & quod egressum est de labijs meis, non mutabo. Semel iuravi per sanctitatem meam, si Dauidi mentiar.

Prophanasti in terra diadema eius.) Per diadema intelligit gloriam regni, cuius insigne est diadema. Promiserat illi exaltationem super omnes reges terrae. Contraria huic promissioni uidebatur diadematis prophanatio.

Dissipasti omnes maceries eius.) Quæ hic de regni ac ciuitatum illius uastatione queritur, quæ facta sit per hostiles impetus, contraria uidebantur ei quod supra uers. 22. & 23. ad hunc modum promissum fuerat: Non opprimit eum inimicus, & filius iniquitatis non affliget eum, & conteram a facie eius tribulantes eum, & odio habentes eum percutiam.

Etiam retulisti robur gladij eius.) At hoc contrarium uidebatur ei quod uers. 21. promiserat, dicens: Etiam brachium meum corroborabit eum.

Finem fecisti splendori eius, & thronum eius in terrâ deiecasti, præcidisti dies iuuentutis eius, &c.) Promiserat non solum gloriam & amplitudinem regni à mari usq; ad flumina, sed & perpetuitatem. At promissioni huic contraria uidebatur, quæ duobus istis uersibus queritur. Notatè autem non dicit, Præcidisti tempus eius: sed, Dies iuuentutis eius: significans regnum Dauidis, antequam in iustâ ætatem adoleuisset, exterminari cœpisse, ut nec uirilem sit fortitudinem consequutum, nedum iustum aliquod senium.

Queritur ergo Propheta his uersibus, omnia celsisse in diuersum ab eo, quod diuinitus sit Dauidi promissum, eo quod ex tam misera regni illius uastatione appareat Deum aduersus unctum suum ira esse commotum, illumq; deserere & abominari, id quod priore loco tanquam non summam modò, sed & fontem omnis calamitatis conqueritur: deinde pactum suum irritasse, promissum regni robur abstulisse, ideoq; omnia illius inimicis uastanda exposuisse, promissam inimicorum oppressionem in illorum exaltationem ac lætificationem commutasse, regni gloriam & splendorem in ignominiam & confusionem conuertisse, perpetuitatem illius in ipso adhuc flore præcidisse, cum illi & opem suam & potentiam & gloriam & regni amplitudinem, idq; in sempiternum, non simpliciter, sed pacto & iuramento sit pollicitus.

Oriuntur hic duæ quæstiones. una, ad quam regni Dauidis calamitatem & uastationem quærelæ istæ pertineant: altera, sit ne pij hominis ad hunc modum non queri tantum, sed & propè ex-
postulare cum Deo, illiq; tribuere quod promissis suis & pacto non steterit. Quod primam quæ-
stionem concernit, nihil potest, meo iudicio, certi assignari. Sunt qui hæc ad captiuitatem Baby-
lonicam, sunt rursus qui ad tempora & tyrannidem Antiochi, de quo in libris Machabæorum le-
gitur, referant. Iudæi ista, sicut huiusmodi omnia, suo more ad præsentem ipsorum captiuitatem
pertinere dicunt. Me turbat, quod titulus psalmum hunc Ethan Ezraitæ adscribit, quem liquet
temporibus Dauidis uixisse, uirumq; fuisse insigni sapientia præditum. qua de re uidere est 1. Reg.
4. Ideoq; à Dauid inter cantores diuinis psalmis deputatum. 1. Par. 15. Si quid mihi hac in re lice-
ret, iudicarem hunc psalmum ab Ethan hoc Ezraita ipsius Dauidis tempore, de insigni aliqua il-
lius calamitate, siue bellica, siue morbi alicuius periculosa, esse compositum: legendosq; hos uer-
sus non in formis præteriti temporis, sed ad hunc modum: Tu uerò deseris & auersaris, & irasce-
ris aduersus unctum tuum: irritas pactum serui tui, prophanas in terra diadema eius, dissipabis
(nisi illum restitueris) omnes maceries eius, pones munitiones eius confractionem, conculca-
bunt eum omnes qui isthac transibunt, fiet opprobrium uicinis suis, exaltabis dexteram tribu-
lantium eum, lætificabis omnes inimicos eius: retundis etiam robur gladij eius, & non stabilis
eum in bello: finem facies splendori eius, ac thronum eius in terram deijcies: præcidis dies iu-
uentutis eius, operies eum confusione. Ad hunc modum inquam, legerem hos uersus, si quid ci-
tra aliorum consensum auderem, præsertim cum infra uers. 47. in persona Dauidis, Propheta di-
cat: Memor esto quâti temporis ego. Propter quid frustra creasti omnes filios hominis? Quis ui-
uet, & non uidebit mortem? liberabit animam suam de manu inferi? & quæ sequuntur ad finem
usq; psalmi. Verum nihil hic ausim affirmare, ne temeritatis notam incurram. Si cui hæc sententia
placuerit, per me licet eam amplectatur: sin minus, non repugno, quo minus repudietur, quando
illi nec ego certi quicquam ausim tribuere.

Altera quæstio plus uidetur habere difficultatis: uerum meo iudicio non est ita, ut apparet, dif-
ficilis. Siue enim priorem, siue posteriorem lectionem ac sententiam recipias, non est alienum à
uiris Dei, tentationem sensu adobrutis, ut ea fieri à Deo querantur, quæ reuera non fiunt, quan-
tumuis ipsis fieri uideantur. Dixit alicubi Dauid, Proiectus sum à facie oculorum tuorum. Item: *Psalm. 30.*
Dixi in ecstasi mea, Omnis homo mendax. Putabat autè impositum sibi esse à Samuele, quod un-
xisset ipsum in regē. Et Christus ipse in cruce: Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me? Re-
uera autem nec Dauidē, nec Christū Deus deseruit, nec mentitus fuerat Dauidi Samuel. Si respe-
xeris ad uastationem regni Dauidici, siue quæ à Babylonijs, siue quæ ab Antiocho, uel etiā quæ à
Romanis accidit, neq; sic uerum erit, nō steterisse Deū promissis suis, quibus regno Dauidis perpe-
tuitatem est pollicitus. Nam, sicut supra memini, perpetuitas illius non terrenum, sed cœleste re-
gnum, quod Christi est, cōcernit. Quod autē etiā pij homines terreni regni Dauidis uastationem,
proculcatio-

Q V A E S T I -
O N E S.

Psalm. 30.

Psalm. 115.

Matth. 27.

proculcationem & exterminationem ita deplorarunt, quasi per hanc promissa Dei irrita redderentur, tam non possumus impietatis arguere, quam primos Christianos, qui ex Iudæis crediderant, ob id damnare nequimus, quod abrogationem legis Mosaicæ iustam esse ac licitam non agnoscebant. ideoque ferè omnes illius æmulatores erant, & ob eam causam malè de apostolo Paulo sentiebant, quod eum defectionem à Mose docere audissent. Duo habebant insignia Iudæi, quæ etiam à pijs, imò præsertim à pijs magnificabāt, & perpetua futura iudicabantur. Vnum erat, lex data per Moysen: alterum, regnum Davidis. Spiritus legis perpetuus est, nempe dilectio Dei ac proximi, non litera: & regnum Davidis perpetuum, sed in spiritu, non externa illa & terrena potentia & gubernatione. Cum ergo Iudæi interitum utriusque ob oculos cernerent, in huiusmodi tentationes & querimonias, ij qui pij erant, incidebant, quibus partim interitum eorum quæ iudicauerant fore perpetua, partim diuini nominis obscurationem & ignominiam deplorabant. Et quoniam huiusmodi piorum querelæ non impietatem aliquam, sed cælestis dispensationis ignorantiam, cum pietate tamen coniunctam, sapiebant, non potuerunt Deo displicere, qui suorum querelas multo melius ferre nouit, quam mater infantis quem impensè diligit. Credibile est & Christianis olim ruinam Christianismi in Palæstina, Samaria, Arabia, Aegypto, Aphrica, Græcia & Asia spectantibus ac deplorantibus. idem accidisse, & hodie quoque accidere, quod hoc psalmo pijs Iudæis usuuenisse uidemus. Interea tamen omnino firmissimum est, quod regno Christi uaticinium psalmi huius tribuit, quantumuis in hoc seculo pomæria illius prorsus concidere uideantur: nec ob id uitio dandum illis est, quod lapsum & ruinam externæ æconomix regni Christi deplorant, etiam si per errorem id ita faciant, ut ipsum Christi regnum in se, quod in cordibus electorum est, interire putent. Vide quid Eusebius Eccles. hist. lib. 8. cap. 1. de corrupto Ecclesiæ statu deploret, & quomodo querimoniam psalmi huius usurpet.

OBSER. I. Tu uerò deseruisti & auersatus es. Notandum hic est, quod ordinem eorum quæ hic commemorat, inuertit. Primum enim est irasci, deinde auersari, tertio deferere. At quod postremum est, id primo: & quod primum est, postremo loco ponit, dicens: Tu uerò deseruisti & auersatus es, iratus es aduersus unctum tuum. Ista inuersio non est præter rationem facta. Hac enim querimonia non tam exprimitur quid Deus faciat, quam quid in rebus aduersis animis afflictorum occurrat. Primus sensus in huiusmodi tentationibus est desertionis, quam obijciunt res afflictæ & calamitosæ. Ideo hanc priorè loco posuit. Alter est auersionis & abominationis. Si enim quæras, quare populum suum deferat Deus, ratio hæc occurrit, quod illum abominetur & auersetur. Sic enim comparati sumus, ut quos abominamur, deferamus: quos cõplectimur, tueamur. Tertius est ira & indignationis, qui tamen ordine primus est. Sensus enim auersionis & abominationis, hoc mentibus tentatorum ingerit, irasci Deum ijs quos abominetur. Hactenus & nobis colligendum est in rebus afflictis, nempe deferi nos à Deo: deferi autem ideo, quod nos auersetur: auersari ob eam causam, quod peccatis nostris irascatur. Seruiant ista nobis ad hoc, ut cognita ira Dei, reliquamus, & causas illius amputemus.

OBSER. II. Prophanasti in terra diadema eius, dissipasti omnes maces eius, &c. Vide quid sequatur, si Deus irascatur, auersetur ac deferat. Nihil hic expectandum aliud, quam omnium desolationem ac uastationem, & miserandam ignominiam & confusionem: inimicorum uerò, idque uiciorum, exaltationem & lætificationem. Sicut enim Deo placato, complectente ac defendente omnia florent, uigent, confirmantur & exhilarantur: ita illo irascente, auersante ac deferente, necessario uastantur & concidunt omnia: perinde atque fieri uidemus sole à nobis longius discedente, id quod brumali tempore contingit, ut omnia concidant, torpeant, & uastationem quandam ac desolationem tristissimam referant: propius uerò ad nos reuerso, cuncta reuiuiscant, florent, uigean, & iucundissimum aspectum exhibeant, quam nobis faciem æstas singulis annis ob oculos exponit.

OBSER. III. Diadema eius, maces eius, munitioes eius, robur gladij eius, splendor eius, thronum eius, dies iuuentutis eius, &c. Vides regnum hoc Davidis nec infirmum, nec humile fuisse, sed munitum muris ac munitioibus, ac robore gladij: hoc est, ad resistendum hostibus instructum, splendore opum, & throno, id est rerum gubernatione ornatum: & in flore etiam, quod iuuentutis dictione innuitur, ac gloria fuisse. Quid hæc omnia conferunt, si Deus irascatur, auersetur ac deferat? Quam igitur insaniunt, qui regnorum stabilimentum his rebus deputant, quæ si quid possent, regnum Davidis, & reliqua Assyriorum, Babyloniorum, Græcorum & Romanorum, ab interitu uindicassent?

46 Usquequò Domine absconderis in æternum, exardescit uelut ignis ira tua?
47 Memor sis quantuli temporis ego sim, ut quid frustra creasti omnes filios hominis?
48 Quis uir uiuet, & non uidebit mortem, eripiet animam suam de manu sepulchri? Selah.

LECTIO. Quantuli temporis ego sim. Ebr. אנימה חלר. Græcus sic, τίς μὲν ὁ χρόνος, id est, Quæ mea sit substantia. Chald. ad hunc modum: דאנא אתבריתיי מן עפרא, id est, quod ego de puluere creatus sim. Ut quid frustra. על ברה שוא. Græcus, μὴ μάταιος: id est, Num enim frustra. Sic etiam recentiores alioqui reddiderunt.

(Quis uir.)

A. *Quis uir.* Ebr. *איש גיבור*. Græc. *τις ἄνθρωπος*. id est, quis est homo. Et Arabs, Quis est homo ille?

Pertinent ista cum sequentibus ad quintam hanc & postremam psalmi huius partem, quibus EXPLA
NATIO. Propheta iram Dei deprecatur, illumq; humanæ conditionis, deinde & priscæ ipsius bonitatis, iuramenti quoq; Dauidi facti, ac simul opprobrij, quod ferre cogeatur, ad hoc admonet, ut placatus & conuersus, de regno Dauidis melius constituat.

Vsquequò Domine absconderis in æternum? Sic solet animus tentationis & afflictionis diuturnitate Vers. 46. pressus ac suspensus. Morè quidem est impatiens, nequit tamen iudicare Deum nunquam allatum esse opem, sed adhuc placationem illius sperat. Deinde humano more Deo tribuit, quòd se absconderit, & interim iratus contra populum suum exardescat. Dum enim omnia calamitatibus subiecta sunt, nec uspiam diuinum auxilium elucet, uidetur Deus auersus & absconditus: & licet hoc aliquandiu duret, quia tamen bonus est, speratur non in sempiternum indignaturus, seq; absconditurus. Vehementiam calamitatis exprimit, cum iram Dei ignis in morem exardescere dicit.

Memor sis quantuli temporis ego sim. Admonet Deum humanæ conditionis, quàm exiguo illa uita Vers. 47. et 48. cursu comprehendatur, & quàm nemo sit, qui morti non sit obnoxius. Inducuntur ista ad mouendam commiserationem, Q. d. Vt quid Domine tanta ac tam prolixa ira in nos exardescis, ac populum tuum adligis? Quæ quæso est uita nostra? An non alioqui breui tempore uiuimus? Recordare obsecro, quàm alias non diu in hac uita duremus. Quis enim usq; adeò robustus uir est, qui uitam sit obtenturus in sempiternum, nec mortem uisurus, aut in sepulchrum non sit descendurus? Vt quid omnes filios hominis creasti? Nunquid præter rationem, ad hoc tantum, ut sint qui intereant ac deleantur? Quæ erit nostri utilitas, si ad hunc modum uiolenta & immatura morte tollendi sumus? Misertus itaq; conditionis ac mortalitatis nostræ, extingue ignem hunc iræ tuæ, quo nos prorsus consumpturus uideris.

Quod si legeris, Nunquid uanè creasti filios hominis? uidebitur hoc sensu dictum: Nunquid tales condidisti uniuersos filios hominis, ut uanitati sint subiecti, propter uitæ uidelicet breuitatem ac mortalitatem? Sic psalm. 39. dicit: Omnis uanitas, omnis homo.

Sicut supra monui, apparet ex uersu 47. cum dicit, Memor sis quantuli temporis ego sim, psalmum hunc uel à Dauid ipso, uel ab Ethan Ezraita in persona Dauidis, de insigni quadâ, uel morbi, uel belli calamitate esse compositum. Alioqui non uideo, quomodo hæc unius personæ querimonia posterioribus Iudaici populi calamitatibus competere possit. Quis enim in illis dabitur, cuius uox hæc esse possit, Memor sis quantuli temporis ego sim? uerum non pugno.

Vsquequò Domine absconderis in æternum. Duo sunt hic notanda: unum, quomodo Deus in tribulationibus his qui adliguntur uideatur esse absconditus, dum potentiam ac bonitatem suam in OBSER. I. asserendis afflictis non declarat: ac rursus manifestus esse ac conspicuus, si quando res populi sui tuetur & conseruat. In se aliàs Deus, ut est inuisibilis, nec ulli mortalium conspicuus, ita & Esa. 45. Tu es absconditus Deus. absconditus dici potest. Obseruandus est igitur in operibus suis, quibus prouidentia suæ erga nos bonitatem ac potentiam declarat, ut cognosci possit, & sincera fide coli & adorari. Alterum est, quàm etiam in electis, si afflictionibus aliquandiu subijciantur, moræ impatientia reperitur. Non simpliciter dicit, Absconderis Domine, uel, quare absconderis Domine: sed, Vsquequò Domine absconderis, idq; in æternum? quæ uerba omnino animum exprimunt, cui iam plus æquo diuturna uideatur esse calamitas, quam putarit iam olim terminari debuisse. Videtur quidem non competere pijs, ut Deo terminos afflictionum præscribant, neq; id ipsi etiam conantur: uerum si in tentationibus sint, nihil habet impietatis, si ad hunc modum loquantur, & de tribulationis diuturnitate querantur.

Exardescit uelut ignis ira tua. Notanda est hæc comparatio, qua iram Dei Propheta igni comparat. OBSER. II. Vis ac uehementia ignis nota est. Omnia consumit ac depopulatur, nisi extinguatur: ita planè ira Dei consumptrix est omniū, nisi placetur: sicuti rursus beneuolentia illius ædificatrix omniū & conseruatrix, nisi exacerbetur. Sentiamus igitur ex èplo hoc Prophete, in grauioribus illis calamitatibus ac uastationibus non leuè ac modicam, sed grauem & exardescentem in nos iram Dei: metuamusq; illà haud minus, sed multo amplius quàm ignem omnia consumentem: nec metuamus tantum, sed & de placatione illius cogitemus. Alioqui quomodo excusabimur, si ardore iræ Dei contempserimus, cum ad solū fumum ex ædibus insolētius emergentē magna cautione, cura & sollicitudine concurratur, & mutua opera impèdatur, ne quod damni rebus nostris detur, si exurgat incendium? Terrenū hunc ignem diligenter obseruamus, ne quo pacto nos lædat: & quāta licet diligentia incendiorum flagrantiam cauemus ac timemus, cœlestē uerò, multo intolerabiliore, suscipimus, & quæ facimus, etiam si uideamus flamma illa iræ Dei uicina nostra corripere & uastare. Maiorem Christianarum nationum ac prouinciarum partem iam olim absorpsit hic ignis, & hac nostra tempestate uicinam quoq; Ungariam miserabiliter depopulatur. Quid interea nos? Altum dormimus ac stertimus, nec semel de restringendo hoc incendio seriò cogitamus, sed impenitentiam delictorum nostrorum & abominationum, quibus iram hanc Dei ipsi excitauimus, pertinaciter retinemus. Quid igitur, etiam si sint, qui cum Propheta hoc clament, ac dicant: Quousque Psalm. 49. Domine exardescit uelut ignis ira tua? An non ille omnium iustissimè reget, Quousque uos per impenitentiam uestram ignem hunc iræ meæ subinde uehementiorem redditis? Hæc scilicet est præsentis temporis perditio. Nec metuimus iram Dei, nec de placanda illa seriò cogitamus, quantumuis

quantumuis uehementiam illius omnia passim corripientem uideamus. Quid aliud ergo dici-
mus, quam illud pertinacis populi uerbum, Desperauimus, post cogitationes nostras ibimus?
OBSER. III. Memor sis quantuli temporis ego sim. Quantumuis moræ sit in afflictionibus impatiens, ab oratione
tamen non desistit: sed in hoc incumbit, ut iratum Deum placet. Indicio hoc uidemus, non abij-
ci à pijs prorsus omnem diuinæ bonitatis fiduciam, etiam si nihil aliud quam iram illius sentiant.
Licet enim admodum irascatur, sciunt tamen eum bonum esse natura: nec futurum credere pos-
sunt, ut perpetuò irascatur. Hac fide & spe etiam in ipso iræ illius sensu ad preces confugiunt.

2 Notandum autem est, quid proferat ad hoc, ut iratum Deum placet. Memor sis, inquit, quan-
tuli temporis ego sim, ut quid frustra creasti omnes filios hominum? Quis uir uiuet, & non uide-
bit mortem, eripiet animam suam de manu sepulchri? Tapinosi utitur, ad mouendam commise-
rationem Dei. Nouit Deum parcere humiliatis, nec posse sæuire in miseros, miseriam & humi-
litem conditionis suæ agnoscere & confitentes. Ideo humanæ uitæ breuitatem & mortalita-
tem humiliter illi proponit. Et reuera ita comparata est immensa illa numinis clementia, ut con-
siderata miseria, humilitate ac mortalitate conditionis nostræ, non tetricat nobis secundum ini-
quitates nostras, sicut in frâ psal. 103. legimus: Quoniam, inquit, ipse cognouit figmentum nostrum,
recordatus est quoniam puluis sumus, homo sicut fœnū dies eius, &c. Verletur nobis ipsis etiam
istâ conditionis nostræ mortalitas ob oculos, primum ad hoc, ut consideratione illius minus nos
caducis mundi huius rebus inuoluamus, minus peccemus, minus insolescamus ac superbiamus,
adeoq; & iram in nos Dei minus prouocemus & exacerbemus. Deinde ad hoc etiam, ut mitio-
res simus ac placabiliores erga proximos nostros, eaq; in re patrem nostrum cœlestem imitemur
qui mortalitatis nostræ consideratione placabilis redditur. Quis quæso poterit hanc contra pro-
ximum suum inducere crudelitatem, ut uitæ illius insidiatur, si cogitet, & se & illum uitæ esse bre-
uissimæ, ac propediem moriturum utrumque?

OBSER. Quis uir uiuet, & non uidebit mortem, eripiet animam suam de manu sepulchri? Notandum est hoc uersu,

IIII. quod non simpliciter dicit: Quis homo uiuet, & sepulchrum effugiet? sed, Quis uir uiuet, & eri-
piet animam suam de manu sepulchri? Non solum hoc dicit, quod moriendum sit omnibus ho-
minibus, sed quod mortis potentiam, quam per manum sepulchri significat, nemo quantumuis
fortis ac robustus heros euadere queat. גבר enim robustum, dominum & herosa significat. Deij-
ciat hæc consideratio factum, insolentiam potentum, diuitum, magnatum, principum, heroum.
Deinde solatio etiam sit oppressis, contra tyrannidem potentum, quod mortis uim ac poten-
tiam euadere nequeant: id quod illis Dominus & supra psalm. 82. obijcit, dicens: Vos autem si-
cut homines moriemini.

49 Vbi sunt bonitates tuæ priores Domine? iurasti Dauidi in fide tua.

50 Memor esto Domine probri seruorum tuorum, quod porto in sinu meo om-
nium multorum populorum.

51 Quo exprobrant inimici tui Domine, quo exprobrant uestigia Christi tui.

52 Benedictus Dominus in seculum, Amen, amen.

LECTIO

iurasti Dauidi.) Ebr. גשבע לך. Græcus legit, ὡς ἔπαυσε τὸν Δαβὶδ, id est, quas iurasti Dauidi

Vers. 49. Chald. דרר, id est, quas pactus es Dauidi. Arabs, quas iurasti in pacto tuo Dauidi.

Vers. 50. Seruorum tuorum.) Ebraicè עבדך. Chaldæus legit singulariter עבדך, id est, Serui tui. Sic & Arabs.

Omnium multorum populorum.) Ebr. כל רבים. Græcus dictione uniuersitatis neglexit, simpli-
citer legens πολλοὶ, id est, Multarum gentium. Chald. illam non ad populos, sed ad probra re-
fert, sic legens, כל גרמיותך עמך, id est, Cuncta opprobria multorum populorum.

Vers. 51. Vestigia Christi tui.) Ebr. אקברה בשיחך. Græcus legit, τὸ ἀντὶ ἀλλήλων τὸ χριστὸς, quod Latinus se-
quutus reddidit, Commutationem Christi tui. Chald. sic: אחר רישות רגלי בשיחך, id est,
Tarditatem uestigiorum pedum Christi tui.

EXPLA-

NATIO

Vers. 49.

Vbi sunt bonitates tuæ priores Domine? Recordatur Propheta, quàm fuerit olim Deus erga popu-
lum suum bonus ac benignus, quantisq; illum beneficijs affecerit: indeq; miratur, qui fiat, quod tam-
diu à seipso diuersus appareat, tantumq; à priore mutatus sit. Nec miratur simpliciter, sed pristi-
nas illas bonitates Dei ardentissimo affectu requirit & implorat dicens: Vbi sunt bonitates tuæ
priores Domine? Sic enim quæ desiderantur, requiri & implorari solent, cū nihil illorum uspiam
apparet. Omnia iram & furorem Dei præferebant, nec aliquod diuinæ beneuolentiæ indicium
dabatur. Ideo priorum temporum felicitatem recogitat, quibus Deus populo suo summa bene-
uolentia adspirauerat, priscamq; illam benignitatem intimis affectibus suspirat.

Illud, iurasti Dauidi in fide tua, superiorum repetitionem habet, quibus iuramenti ac pacti cum
Dauidi initi mentionem fecit. Hanc repetit ob eam causam, quod sperat ueritatem Dei euanesce-
re non posse, tam perspicuo uidelicet iuramento firmatum. Ideo non simpliciter dicit, iurasti Da-
uid: sed addit, In fide, uel per fidem tuam Q. d. quæ nullo modo poterit irrita reddi.

Vers. 50. 51.

Memor esto Domine probri seruorum tuorum.) Duobus istis uersibus exprimit Propheta quantum &
postremum spei suæ argumentum, nempe non passurum Deum perpetuò, ut serui ipsius impio-
rum hominum probri sint obnoxij, cum ea ignominia non tam ipsis, quàm nomini ipsius infla-
gatur. Ideo non simpliciter dicit, Memor esto Domine probri nostri: sed, Probri seruorum tuorum.
nec dicit,

A nec dicit, Quod exprobrant impij: sed, Inimici tui Domine. nec, Quo exprobrant uestigia Christi: sed, Quo exprobrant uestigia Christi tui. quibus uerbis satis exprimit, non tam se, quam ipsum Deum suum ab impijs ignominia affici.

Illud, Quod porto in sinu meo, dictum est tanquam in persona capitis, quam hic Propheta in se recepit & expressit. Vel certè animum exprimit usq; adeò zelo gloriæ accensum, ut cunctis impiorum probis haud secus afficiatur, quam si in se unū certatim effundantur omnia, qualis erat animus Pauli, cum diceret: Quis scandalizatur, & ego non uror? Est autem probra in sinu portare, nihil aliud, quam intimis ea affectibus, & animi cruciatibus concoquere. Sic nos Germani dicimus, Ich hab's im in sein busen geben haim zutragen.

Illud, Quod exprobrant uestigia Christi tui, obscure dictū est, ideoq; & uariè exponitur. Quidam per uestigia Christi, aduentum eius in carnem significari iudicant: quidā ad Dauidē referunt, & imitationem illius intelligūt. Prior expositio hunc sensum habet. Memor esto Domine opprobrij inimicorum tuorum, quo nobis expectationem Christi tui probro uertūt, & aduentū illius tanquam nunquam futurū ridet. Posterior sensus hic est: Recordare Domine, quanta nos ignominia afficiant inimici tui propter Dauidem seruum tuum, quod huius memoriā & imitationem studiose retinemus, spemq; pacti tui cum illo in te mordicus alimus. At hoc facientes, in te pacti huius auctorem ac promissa tua respicimus: quapropter noli committere, ut ab hac spe inimicorum tuorum probis deijciamur: noli committere, ut impij homines rectè nobis illuisse uideantur. Poterit hæc particula etiam sic exponi, ut per צַדִּיקָא, id est calcem extrema regni Christi, Dauidis uidelicet intelligantur, ita ut sentiamus inimicos Dei, populo Israelis id obieciisse, adesse iam finem & exterminium regni Dauidis, præsertim cum in superioribus uers. 38. & sequentibus Propheta dixerit: Tu uerò deseruisti & auersatus es, iratus es aduersus unctum tuum, irritū reddidisti pactum serui tui, profanasti in terra diadema eius: dissipasti omnes maceries eius, &c. & finē fecisti splendori eius, & thronum eius in terram deiicisti, &c. Sic arbitror particulam hanc ita exponi posse, ut cum superioribus concordet, neque necesse sit sensum ab illis alienum inducere.

Benedictus Dominus in seculum, Amen, amen.) Hæc est psalmi conclusio per אֲמֵן אֲמֵן, qua quicquid est calamitatis, de qua conquestus est hoc psalmo, non solum diuinæ uoluntati commendat Prophe-
ta, sed & ad laudem & gloriam Dei cessurum sentit. quod & geminatione dictionis huius, Amen ex animo se optare, imò non optare modò, sed & certò aliquando futurum credere significat.

Vbi sunt bonitates tue priores Domine?) Notandum est hoc loco, primū, benefecisse Deū populo suo, donec exigentibus peccatis, posterorū beneuolentiam suā in iram & indignationem commutari. Nec aliud nobis expectandum est, posteaquam infandis modis tot iam secula patientiam illius exacerbauimus. Deinde obseruandum est, quā soleant beneficia Dei tum demum in memoriam reuocari, quando tristitia premunt. Si enim dum præsentia sunt cognoscerentur, non esset peccandi locus. Verū quoniam contemuntur, fit ut sine omni illorum respectu à Deo deficiamus, iramq; illius in nos prouocemus, atq; ita serò tandem de præteritis cogitemus. Sic mortuorum piorum, quorum uiuentium nulla habebatur ratio, fidem ac sinceritatem post mortem demum suspiramus, quando reproborum perfidia grauamur. Hæc est humani ingenij peruersitas, præsentia contemnens ac proculcans, absentia uerò cum pœnitudine cordis efflētū requirens, quæ sanè nobis hoc loco agnoscenda est ac deploranda. Est autem omnium iustissimum hoc Dei iudicium, ut quæ olim præsentia negleximus, tandem meritis malis grauati, absentia cum summa pœnitudine desideremus ac requiramus.

Memor esto Domine probri seruorum tuorum.) Admonemur hoc loco, ut si ad Deum pertinere uoluimus, probra inimicorum eius, quibus nomen illius afficiunt, in sinu nostro cum dolore ac luctu ferre non recusemus: sperantes futurū, ut horum aliquando recordetur, ac inimicos confusione, nos uerò gloria, ulciscendo sese, afficiat. Curādum uerò, ne meritis probis afficiamur, quod non piorum, sed reproborum est: sed tales nos in hoc seculo geramus, ut ab inimicis Dei ac ueritatis ipsius, non aliam ob causam rideamur, & ignominiosè tractemur, quā quod serui Dei sumus: ut non nostra malitia, sed diuini nominis confessio in nobis ignominia pateat, ut & nos cum omnibus seruis Dei dicamus: Memor esto Domine probri seruorum tuorum, &c.

Quo exprobrant uestigia Christi tui.) Notandus est hic locus ijs qui pro Christi nomine ignominio-
se tractantur. Tria sunt quæ hoc nostro seculo Christi fidelibus probro uertūt. Vnum est, quod aduentum Christi seculum hoc iudicaturi spe præstolantur infracta. De hoc irrisoris genere uide 2. Pet. ult. Venient, inquit Apostolus, in nouissimis diebus in deceptione illudores iuxta proprias concupiscentias ambulantes ac dicentes: Vbi est promissio, aut aduentus eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant, ab initio creaturæ. Alterum est, quod Christum seruatorem, Dominum ac præceptorem suum tanquam uitæ ducem indiuisse imitari conantur, atq; eam ob causam mundo huic pessimo & impio ualedicunt. Hic audiunt etiā Romæ, ubi irrisorum & impiorum sedes est, Bon Christian: quod perinde illis sonat, atq; si fatuos nomines: imò, quia uocem & uestigia pastorem sui sequuntur, & alienos fugiunt, hæreseos damnantur, trucidantur, & exuruntur. Tertium est, quod à Christo non deficiunt, tametsi iam regnum eius postrema periculi uideatur, Hic insultant nobis & Iudæi & Turcæ, uidentes externa illa Christiani populi pœneria de extremis periclitari, ac modicas illas reliquias in seipsis amplius consistere non posse, etiam.

etiam si aliunde non impugnentur. Ignorat miseri regnū Christi non esse de hoc mundo, nec pendere à seculari aliqua potestate, sed prorsus esse cœleste ac sempiternū. Quid igitur trino hoc ignominie genere aliud nobis accidit, quàm quod Propheta hic dicit: Quo exprobrant uestigia Christi tui? Consoletur uerò nos, quòd Christus hic, cuius nomine probris scindimur, Dei Christus est. Non simpliciter dicit, Exprobrat uestigia Christi, uel Christi nostri: sed, Christi tui. Ergo quicquid ignominie Christi gratia ferendum est in hoc seculo, tale est, ut non nos modò, & Christus in nobis, sed & ipse Deus pater unà cum Christo rideatur. Quid hic expectandum est aliud, quàm ut ubi gloriam suam diuina maiestas ab impijs uindicabit, simul & nostram sit uindicaturus.

OBSER. Benedictus Dominus in seculum, Amen, amen.) Obseruanda est ista psalmi conclusio. facile dicitur, Be-

IIII. nediectus Dominus: hoc est, Laus sit Domino, ubi sensus beneficiorum illius occurrit: uerum ubi tanta calamitas animum affligit, quantam hoc psalmo tot anxij querimonijs expressam uidemus, magna opus est fide, ut cum hoc Propheta dicamus, Benedictus Dominus in seculum: & cum beato Iob, Sit nomen Domini benedictum. Non simus igitur de eorum numero, qui Domino tum primū benedicunt, quando prosperè habent in hoc seculo: sed discamus cum hoc Propheta etiam in summis illi tribulationibus laudis offerre sacrificium ac dicere, Benedictus Dominus in seculum: nec dicere tantum, sed & toto corde optare.

PSALMVS CX

ARGUMENTVM PSALMI

Videtur hic psalmus ad hoc compositus à Mose, ut populum admoneret. Primum, quanta sit uita nostra breuitas & miseria. Deinde, unde illa sit, nempe ex eo, quòd peccatis nostris iratus Deus cursum uitae nostrae & adfectum reddiderit & decurtatum. Adiecit orationem, petens à Deo ut populi sui misertus, praeteritam calamitatem sequenti felicitate aequet, atq; ita seruos suos hactenus tristes & miseros exhalaret.

Diuisio Psalmi.

1. Sunt autem quatuor psalmi partes. Prima prouidentiam Dei erga populum suum, ac diuinitatis illius sempiternitatem celebrat: uers. 1. & 2.
2. Altera humanae uitae miseriam ac breuitatem deplorat: uers. 3. 4. 5. 6.
3. Tertia, unde utraq; sit, docet: uers. 7. 8. 9. 10. 11.
4. Quarta, psalmum imploratione misericordiae Dei concludit: uers. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

ORATIO MOSIS VIRI DEI

Psalmum hunc compositum esse à Mose, ipse titulus indicat, quantum uis hoc Augustinus neget. Si quid existimationis & praerogatiuae ex autore ac uetustate est, erit nobis hic psalmus utroque nomine commendatus. Dictus est autem oratio, propterea quòd orationis spiritu & affectu prolatus est, & ea quae orationis sunt complectitur: ut sunt, *ἀνάγκη*, *ἀσθενεία*, miseriae deploratio, diuinæ gratiae ac misericordiae imploratio.

Vir Dei. Vocat praeterea titulus Mosen uirum Dei, quod elogium prophetis passim in scripturis tribuitur, ac singularis cuiusdam pietatis & sanctimoniae encomium habet: & idem sonat, ac si diuinum uirum dicas. Chal. legit *אישׁ דבׁר*, id est propheta Domini. Commendat itaque Mosen psalmi huius autorem à praecipua mentis pietate ac sanctimonia, qua plurimum commercij habebat cum Deo: sicut in seruo Dei, ministerij uocatio, & in filio Dei electionis & adoptionis gratia praedicatur. Admoneat ergo nos tituli lectio, ut summa cum attentione mentis obseruemus, quid uir Dei tantus, cum Deo suo loquatur.

PARS PRIMA.

1. **D**omine, habitaculum tu nobis fuisti, à generatione in generationem.

2. Antequam montes generentur, & formaretur terra & orbis, & à seculo & usque ad seculum tu es Deus.

EXPLANATIO. In lectione nihil est obscuri. Versu 1. Moses beneuolentiam Dei celebrat, quae populum Israelis praeteritis generationibus uarijs beneficijs affecit, & perpetua quadam protectione tutatus est. qua de re alibi sic legimus: Non permisit hominem nocere eis. Protectionem hanc diuinitas intelligit, quam Graecus reddidit *ἀσθενεία*, Latinis refugium. quae lectio uel de fide priorum ad protectionem Dei sui in omnibus tribulationibus confugientium, uel de ipsa protectione Dei ad se confugientes conseruante, exponi potest. Duplici namque ratione Deus refugium suorum dicitur: una, quòd illi ad eum in afflictionibus confugiunt: altera, quòd is ad se confugientibus protectionis ac refugij tutelam impertit. Vtrouis modo exponamus, nihil reuoluit. Agnoscit igitur hoc uersu Propheta maioribus suis, hoc est, populo Israeli, Deum nunquam defuisse. ideoque non simpliciter dicit, Fuisti nobis habitaculum: sed addit, A generatione in generationem. Habet igitur haec particula speciem Eucharistiae, id est, gratiarum actionis.

Antequam montes generarentur.) Habet hic uersus *ἀσθενείαν*, qua diuinitatis in Deo sempiternitas praedicatur.